Biblioteka
Ojców Kamedułów
w Bieniszewie

R. P.

IOANNIS HAGEN, DE INDAGINE, SS. THEOLOGIAE olim Professoris, ac deinde variarum CARTVSIARVM Moderatoris,

DE PERFECTIONE ET EXERCITIIS SACRI CARtusiensis Ordinis,

LIBRI DVO.

PERMISSV SVPERIORVM.

Bibliotheca Varsaviens. Schol. Piarum
Evimi Montis Regii 1672

COLONIAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. IX.

Brev. E. II. 29

ADMODVM

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, D. ARNOLDO HAVENSIO, SS. THEOLOGIAE DOCTORI perquam eximio, ac Gandensis Cartusiæ PRIORI vti vigilantissimo, sic Mœcenati suo integerrimo.

CVM paucis ante diebus ex Cartusia horti Angelorum propè VVirceburgum, præsentem hunc doctissimi iuxta ac pientissimi viri IOANNIS de INDAGINE Tractatum, ante hac in lucem nunquam editum, consecutus essem, Reuerende in Christo Pater, eumq; cum viris doctrina ac pietate

præstantibus contulissem, ac maiorem in modum commendari intellexissem, haudquaquam detrectaui meis eum sũptibus publico rei literariæ bono communem omnibus facere. Maximè cùm æquum non sit, præclara talis tantíq; viri literarum monumẽta situ ac squalore diutius cõtabescere. Quippe, qui & librorum multitudine (numerantur enim trecenti, & amplius) & eruditionis laude DIONYSIVM vestrum RICKELIVM, insignem profectò EXTATICVM DOCTOREM, multis videatur parasangis superasse. Adeo vt Antonius Posseuinus sacro suo in Apparatu, dum in recensendis huius eiusdẽ Auctoris scriptis occupatur, quatuordecim inte-

integras repleat colūnas. Fuit namque omni scientiarum genere, maximè verò rerum Theologicarum cognitione (vti Trithemius, alijq́; de ipso cōtestantur) egregiè instructus. Vtpote publicus Erphordianæ Vniuersitatis, ante Ordinis vestri ingressum, S. Theologiæ professor, atque Orthodoxæ fidei assertor integerrimus.

VNDE toto cœlo aberrare credendi sunt illi, qui auctorem hunc vestrum eundem omninò esse arbitrantur, qui de chiromantia, physiognomia, aliaq́; ad proscriptam Iudiciariam astronomiam spectantia, scripsisse legitur. Ille namq; in prohibitorū Catalogo librorum primæ notæ hæreticis non immeritò annumeratur: hic verò vester, quid-

quid librorũ posteris reliquit, non nisi pium est, nõ nisi doctũ, ac modis omnibus probatum. Vti cuiuis legere cupienti constare potest ex præsenti hoc opusculo, octo duntaxat dierum spatio, inter tam varias Ordinis officij occupationes (egit namq; tunc cum illud aliorum rogatu exararet, Priorem propè Isenachum in Thuringia) elaborato: adeo vt dubium esse non queat, quin incredibilis in eo fuerit memoria, plurimarum & maximarum rerum doctrina: nec non & diligentia in elucubrando, constantia in perseuerando, prudentia denique in iudicando: qui tantum solus scribendo efficere potuit, quantũ aliorum quispiam vix legendo.

CAETERVM præsens hic Tracta-

Tractatus, etsi ab auctore continuatæ orationis filo sit pertextus, nos tamen illum in duos separatos libros, & hos in plura capita, iuuandi Lectoris gratia tædijq́ue leuandi, distingui curauimus. Dedicantes hoc quidquid est laboris studijq́; ab Auctore insumptum, Reuerendæ Paternitati Tuæ: quæ vti ipsa quoque publicè olim apud Vbios sacræ Theologiæ professorem egit doctißimum, ac Concionatorem longè celeberrimum, sic etiamnum pergit de vniuerso sacro CARTVSIANORVM cœtu, maximè verò Gandauensi ista, cui præest, Domo, quã optimè indies mereri. Idq; tũ piorum editione librorum, tum nouorum constructione domiciliorum. Cuius vtilißimos cona-

tus diuini numinis fauore promoueri indies percupimus. Sic salue & vale Pater optime, ac modis omnibus colendissime. Coloniæ Vbiorum ex officina nostra libraria. Anno 1608. ipso Diui Bernardi Abbatis.

Reuerendę P. T. addictissimus,
Bernardus Gualtheri, ciuis
ac bibliopola Colon.

DE PER-

DE PERFECTIONE ET EXERCITIIS SACRI CARTVSIENSIS Ordinis

LIBER I.

PROOEMIVM AVCTORIS.

Vacate & Videte, quoniam ego ſum Deus. Pſal. 45.

RELIGIOSE ac in Chriſti viſceribus multum dilecte frater Henrice volens tandem deſiderijs tuis ac petitionibus vtcunque ſatisfacere, quibus nunc verbis, nunc ſcriptis non ceſſas in ſufficientiam meam pulſare. Congaudeo quidem tam pijs deſiderijs tuis, quæ nō eſt dubium, à DEO procedere. Sed vtinam à ſapientioribus, deuotioribus, & minus oneratis, curis ac ſolicitudinibus (quæ animum meum in cura paſtorali ſæpe ad alia videlicet ſecularia à ſpiritualibus trahunt) petiuiſſes. Tamen quia tibi ſic placuit in Deum confidens, firmi-

terque ſperans, vt vires quas imperitia non habet, diuina caritas, in qua tibi ad honorem eius placere volui, & alijs, qui fortè tecum idem deſiderant, vel certè tecum humiliter & caritatiuè ſuſcipient, & in vita religioſa, & Dei caritate ex his proficient, concedet, libenter laborem ſubiui. Et ne mens libera ſit, varia dictare & ſcribere, formam mihi præfixiſti & thema, verba videlicet propoſita.

Vacate & videte, quoniam ego ſum DEVS.

1. Deſiderans tibi explicari, *quomodo in Sancto Ordine noſtro Carthuſienſi ſit vacandum. Et quomodo DEVS in* 2. *eodem ordine ſit videndus.*

3. *Quæ etiam ſit perfectio huius Sacri Ordinis ſuper cæteros Ordines in Eccleſia ſancta approbatos.*

4. *Et quomodo per exercitia Ordinis Carthuſ. ad prædictum finem, ſcilicet perfectionis ſit perueniendum.*

5. *Et quæ ſit differentia inter exercitia ſpiritualia & corporalia.*

6. *Et quomodo Statuta & ordinationes ei-*

nes eiusdem Ordinis ad istam perfe-ctionem ritè ordinentur.

In his, vt æstimo, petitiones tuæ continentur, quas tàm verbis quàm scriptis expressisti. Volui tamen ad tua scripta habere recursum, vt certus essem de petitionibus. Sed multis occupationibus alijs impeditus, non potui scire, quò peruenerint scripta tua: licet cum magna diligẽtia proposui & volui ea mihi reseruare. Vt non solùm sensum, sed etiã verba petitionis tuæ ijs insererem. Et si petitiones prædictæ fortè non eodem ordine sint à te formatæ: nec fortè à me soluentur, sic satisfiet eis; Tamen ad omnes intendo, inuocato Christi auxilio, pro posse respondere. Et de verbis assumpti thematis, quantum ipse dare dignatus est, cuius honor & gloria in his quæritur, scribere attentabo.

CAPVT PRIMVM.

QVIA igitur in moralibus, finis est primus in intentione, & est causa motiua, quia mo-

uet agentem: qui primò ad finem respicit: Et ex desiderio finis ad agendum mouetur: *Finis autem huius sacri Ordinis est diuina contemplatio & æternæ beatitudinis, quantum poßibile est in hac vita, degustatio*: Ad hunc namque finem ordinatus & institutus est sacer Ordo Cartusiensis: Et habet exercitia corporalia & spiritualia ad hunc tendentia, & huic fini adipiscendo congruentia.

Finis Ordinis Carthus.

Ideo etiam professi huius Religionis ad hunc finem tendere debent pro posse, sicut aliarum religionum professores tendũt ad fines suarum Religionum. Tunc namque vnaquęque res est perfecta, cùm finem suum attingit & apprehendit. Et ideo Religiosi dicuntur perfecti, in genere suo, quando debitè fines suarum Religionum apprehendunt. Qui tamẽ fines vlterius ad charitatem ordinantur, tanquam ad vltimum finem. In quo est finis & perfectio simpliciter rationalis creaturæ. Quia finis rationalis creaturæ & perfectio, est apprehensio vltimi finis, qui est

Religiosi quando dicantur perfecti.

DEVS

DEVS. Quæ apprehensio fit per caritatem. Ideo caritas dicitur vinculum perfectionis. Vnde Apostol⁹ Paulus dicit: *Super omnia caritatem habentes quod est vinculum perfectionis.* Ad hanc caritatem finaliter omnes Religiones ordinantur, & exercitia omnium Religionum, similiter & fines earum. Ideò quidam Doctores Sancti ita descripserunt Religionem. *Religio est exercitium, quo quis exercetur ad perfectionem charitatis.* Et sic ex caritate procedunt talia exercitia & ad caritatẽ tendunt. Ideo Apost. dicit. *Omnia in caritate fiant.* Quoniã omnia opera humanæ creaturæ, & omnes actus humani, qui ex ratione procedunt, debent procedere ex caritate, tãquam ex principio; & ad charitatem ordinari, tanquam ad finem. Et si actu omnia opera nostra ex caritate fieri non possunt, quia nec actu semper intendere Caritati possumus; sufficit tamen quod omnia faciamus ex caritate habitualiter aut virtualiter. Habitualiter id est, ex habitu caritatis. Vnde qui-

Coloss. 3. 4.

Religionis descriptio.

1. Cor. 16. 14.

cunque habet habitum caritatis in diuina gratia, ille operatur ex tali habitu actus humanos, qui de tali habitu & de ratione recta procedũt. Vel virtualiter, vt quando homo semel proponit aliqua ex caritate facere. Immò si omnia opera proponit & intendit ex caritate facere ad gloriam DEI, ad saluté animæ propriæ, & proximi ædificationem, tũc certè ista intentio caritatis dicitur virtualiter manere in omnibus operibus quæ subsequentur istam intentionem, donec ista intentio destruatur per oppositam intentionem ex proposito & deliberatione assumptam, Qua homo (quod absit) cogitaret, amplius nolle ex caritate opera facere. Et oportet opera talia esse quod in se non sint mala; quia quę in se sunt mala, bene fieri non possunt.

CAPVT SECVNDVM.

Religionũ diuersitas.

ISta autem opera quæ fiunt ex caritate, varia sunt. Ideò etiam secundum hoc variantur Religio-

nes in Ecclesia sancta. Et primò potest sumi vna diuisio bimēbris. Quia omnis Religio ordinatur aut ad opera vitæ actiuę, aut contemplatiuę: Religiones autem quæ ad opera actiuæ vitæ ordinantur sunt multiplices, secundum quod varia sunt opera vitæ actiuæ, quibus proximo subuenitur ex misericordia & pietate. Sic enim sunt aliquæ Religiones institutæ ad hospites suscipiendos ex misericordia & caritate, & ad seruiendum infirmis & debilib⁹. Ad colligendas in hospitium miseras personas, & ad seruiendum eis in lotionibus, cibationibus, vestitu, & cæteris necessitatibus corporis. Et hæc ex caritate fieri debent, & ad caritatem ordinari. In his namque operibus misericordiæ crescit, & semper plus & plus abundat caritas. Sic etiam institutæ sunt Religiones aliæ ad militandū pro defensione Ecclesię, & proximi. Quia opus misericordiæ, pietatis, & charitatis est seruire Ecclesiæ, & proximo, & defendere ab hostibus

Religio aut est actiua, aut contēplatiua.

Hospitalarij ad quid instituti.

Item Ordo militaris.

bus eam impugnantibus. Sic sunt quidam Ordines instituti ad defendendam Ecclesiam contra paganos, & habent terras iuxta fines paganorum, & prohibent eos irrumpere in Christianos. Et isto modo bellare pro defensione proximi, pro defensione Reipublicæ, Ecclesiæ & Sanctorum, est opus caritatis, & multum laudabile. Sic sancti Reges & Duces bella gesserunt ex caritate, vt Dauid, Machabæi, Thebæi, & alij Reges ac principes innumerabiles. Et vt diligentius ista sancta militia exerceatur, ex Spiritus Sancti infusione ordines ad hoc sunt instituti. Alij autem Ordines ad alia opera vitæ actiuæ sunt instituti, scilicet ad laborandum & quærendum victum & amictum, sibi & alijs indigentibus. Et variantur isti Ordines & Religiones, secundum varia opera vitæ actiuæ. Similiter religiones institutæ ad opera vitæ contemplatiuæ variantur, & conueniunt. Conueniunt namque in hoc quod omnes

nes ex caritate procedunt, & ad caritatem tendunt, quæ eſt finis omnium Religionum & omnium Statuum Eccleſiæ, ſed variantur ſecundum varietatem ſpecialium finium. Quædam enim Religiones ordinantur ad contemplandum & ad inhærendum DEO, per mentis eleuationem & ſuſpenſionem in æterna cum admiratione. Et ad hunc finem ordinatur Ordo Carthuſienſis, de quo ſtatui nunc ſpecialiter aliqua dicere in his ſcriptis. Et habet ſua exercitia ad hunc finem ordinata, vt eſt abſtinentia, ſolitudo, ſilentium & cætera. Quæ latius poſtea DEO concedente dicentur. Aliæ autem Religiones ordinatæ ad contemplationem, ſic ſunt inſtitutæ, vt profeſſi iſtarum Religionum tradant alijs contemplata, vt non tantum ipſi illuminentur, ſed vt etiam alios illuminent, purgent, & quantum poſſunt, perficiant. Sic inſtituti ſunt diuinitus Ordines Fratrum Minorum, Prædicatorum, & cæteri multi. Et dicuntur

Finis Ordinis Cartuſ.

cuntur omnes isti Ordines, etiam Religiones, quia professores Ordinum prædictorum iterum ligant se & obligant DEO, à quo recesserunt. Vel dicitur, Religio à re eligere, quasi iterum DEVM eligere.

Dupliciter à Deo discessimus.

Dupliciter autem DEVM amisimus. *Primò* per peccatum originale, & illud deletum est per gratiam baptismi, quando ad Christianam peruenimus Religionem. In qua iterum nos ligamus DEO, vel per quæ nos, iterum DEVM elegimus, à quo prædicto modo recessimus. Et illo modo generaliter dicuntur omnes fideles eiusdem Religionis, quia omnes sunt in vna religione Christiana. *Alio modo* recessimus à DEO post baptismum, quando peccauimus mortaliter, actualiter, & gratiam baptismi amisimus. Et si quandoq; per pœnitentiam in seculo resurreximus, tamen vidimus quod nequaquam stare potuimus, ex varijs impedimentis, nobis in via positis. Ideo Religionem specialem elegimus, in

qua

qua nos ſpecialiter DEO obligaui- *Hieron.*
mus, & ad DEVM nos iterum liga- *contra*
uimus, atque DEVM denuò elegi- *Vigil.*
mus, quem per peccata abiecimus.
Et quia conſiderauimus quod in ſe-
culo viuere non benè abſque morta-
li peccato potuimus, ideo conſide-
rantes noſtram infirmitatem, elegi-
mus ſanctam ſocietatem, per quam
non trahimur ad peccata, ſicut in ſe-
culo nequam, ſed inſtruimur ad o-
pera virtutum, & per eam informa-
mur ad reſurgendum, ſi quandoque
in peccatum cadimus. Et in ſancta *Tria vo-*
Religione cōſtituti, abiecimus prin- *ta monaſ-*
cipales occaſiones peccatorum, vo- *tica.*
uendo paupertatem & eam ſeruan- 1.
tes, ne per cupiditatem cadamus in 2.
retia Diaboli. Vouendo etiam ca- *Iob. 40.* *verſ. 11.*
ſtitatem, ſcientes quod virtus Behe- 3.
moth, id eſt diaboli eſt in lumbis,
quò ad viros, & in vmbilico, quò
ad mulieres. Vouendo etiam o-
bedientiam: Scientes quod per vni-
us hominis inobedientiam omnes *Rom 5.*
conſtituti ſint peccatores. Inter hæc *verſ. 19.*
tamen vota obedientiæ potiſ-
ſimum

simum est, & includit omnia alia Vota. Et sine hac virtute, aliæ nihil valent. Vnde nec ieiunium valet

Isaiæ 58.3 cum propria voluntate. Ideò Isaias dicit. *In diebus ieiunij inuenitur voluntas vestra,* & propterea, non fuit hoc ieiunium quod elegit Dominus. Hoc etiam votum, plusquam

Obedientiæ virt⁹. alia appropinquat fini Religionis, & offert DEO potiora, quam sunt in homine nempe animam & propriã voluntatem, & per consequens omnia alia. Qui enim verè obedit, ille nec carne, nec rebus exterioribus ad libitum suum vti potest, sed voluntatem & omnia quæ voluntati subijciuntur offert & vouet per obedientiam.

Hæc autem tria sunt in omni Religione propriè dicta, & specialiter modo prædicto appellata, per quã peccata & occasiones peccatorum euitantur, & ad virtutes & opera virtutum instruuntur homines. Hæc enim tria sufficiunt ad perducendum hominem instrumentaliter ad perfectionem, & constituendum

cum

eum in ſtatu perfectionis. Primo namque conſideratur ſtatus Religionis ſicut exercitium perducens ad perfectionem: Et hoc modo conuenienter hæc tria ponuntur, tanquam tollentia impedimenta perfectionis. Nam paupertas tollit amorem diuitiarum, qui amor quando eſt inordinatus multum impedit perfectionem. Continentia tollit maximas delectationes, quæ rarò abſque peccato exercentur. Obedientia tollit inordinationem voluntatis, ne ſequatur deſideria ſua. Secundò conſideratur ſtatus Religionis, vt quietans animum & pacificans. Quæ quietudo generatur tunc, quando hæc tria compeſcuntur, ſcilicet ſolicitudo rerum exterior, ſolicitudo vxoris & filiorum, & ſolicitudo de impletione propriæ voluntatis. Tertiò conſideratur ſtatus Religionis, vt holocauſtum. Et ſic per hæc tria offerimus DEO perfectum holocauſtum. Nam per paupertatem offerimus ei exteriora bona. Per continen-

Quænam impediant perfectionem.

1.

2.

3.

tiam

tiam offerimus ei bona corporis. Per obedientiam offerimus ei bona animæ. In his tribus bonis comprehenduntur omnia bona quæ habemus & possidemus. Hæc autem tria sub voto cadunt, & per votum Religiosi ad ista obligantur in professione.

Aliqui expresse ista exprimunt in professione, sicut faciunt Fratres Minores: vt in Regula eorum habetur, & alij multi. Alij implicitē, vt sunt S. Benedictini, Cistercienses & Carthusienses. Qui eandem faciunt professionem; quia promittunt stabilitatem, Conuersionem morum, & obedientiam. Stabilitatem scilicet mentis & corporis. Corporis, vt sine licentia non recedant de loco seu domo professionis, neque de Ordine. Mentis, vt non deponant propositum proficiendi, vt non conuertantur mente instabili ad ea, quæ reliquerunt in seculo.

Licet enim Religiosus non teneatur actu esse perfectus, tamen

ad

ad eius ſtatum eſſentialiter pertinet, vt tendat ad perfectionem. Quia Religio eſt ſtudium, ſchola, & diſciplinatus perducens & tendens ad perfectionem, aut ſtudium perueniendi ad eam. Et ideo quando à propoſito proficiendi recedit, & non vult ad finem ſuæ Religionis, & ad perfectionem tendere; vel quia paruipendit perfectionem, vel ſtudium perueniendi ad eam, aut etiam paruipendit opera Religionis: vel contemnit; verè vel interpretatiuè, ac potius oppoſita agit: tunc licet habitum Religionis gerat, & nomen Religioſi habeat, tamen verè apud DEVM Religioſus non eſt; vtpotè inſtabilis, & apoſtata mentalis.

Et hæc valdè ſunt notanda, & à religioſis viris iugiter in mente tenenda, & in operibus religioſis & virtutis exhibenda; vt nunquam ſcilicet à propoſito proficiendi ceſſent, ſed sēper in anteriora tendant, & ad proficiendum continuè animum

mum inclinent. Et quantum possunt, opere perficiant. Vt sic Religiosi non tantum habitu & nomine, sed etiam re & veritate sint. Toties namque à DEO Apostatare dicuntur, quoties animum proficiendi deponunt, & quoties proficere nolunt aut contemnunt, Sed intra se tacitè dicunt: *Sufficit mihi*. Et si non dicunt hæc semper verbo, tamen cogitatione sæpius ista dicunt, & & etiam facto: quando videlicet tantæ sunt negligentiæ, quod contemptus interpretatiuus in eis resideat, & animus proficiendi longè ab eis recedit.

CAPVT III.

DEbent itaque vniuersi & singuli Religiosi seipsos benè considerare, & omni die seipsos discutere & desiderare propter quid venerint. Et quomodo se omni die in Religiosa vita habent. Quid eorum perfectum impediat in cogitationibus, sermonib⁹, operibus bonis, diuinis laudibus, in meditationibus, contemplationibus, & alijs exercitijs spiritualibus. Et summopere omnia impedimenta pro posse vitare: Et semper propositum proficiendi in prædictis & cæteris exercitijs religiosis proficere, & sic semper in ista quotidiana discussione debet quilibet seipsum DEO offerre, propriam voluntatem, & omnes cupiditates malas deponere, linguam refrenare, omnesq; actus & mores reformare, & continuè ad spiritualem profectum tendere. Et per hanc discussionem & suiipsius reformationẽ & resignationem, ac propriarũ voluntatum ac desideriorum carnaliũ mortificationem, continuè ad perfe-

ctioné tédere. Et si centies in die caderet propter suum propositū & intentioné, adhuc nequaquā debet desperare, aut propositum proficiendi deponere, sed iterum propositum resumere. Et recogitare dictum Apostoli. *Scimus quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sūt sancti.* Qui igitur secundum propositum DEI, & etiam secundum firmū propositum intentionis suæ vocati sunt sancti, illis omnia cooperantur in bonum. Et debet cōsiderare quilibet & intelligere, ꝙ aliud est quod in sēsualitate & fantasia versatur, & aliud quod deliberata voluntate & iudicio rationis acceptatur. Quia peccatū principaliter non est in carne. Neq; in sensualitate aut fantasia, sed in voluntate & ratione. Et ideò quantacunque mala sustineat cogitans sensualitas aut imaginatio, & quantumcunque caro rebellet contra Spiritum, tamen quando non consentit ratio, nec voluntas, propriè peccatum non committitur.

Rom. 8. 28.

Quia

Quia peccatum est adeò & in tantum voluntarium, quod si voluntas nō adest nec peccatum adesse potest. Ex voluntate autē peccatum sæpius redūdat in sensualitatē & in corpus; vt fiat executio peccati in carne & sēsualitate, quādo voluntas hoc mādat. Sed quando sensualitas aut caro rebellat rationi, & machinatur mala, aut per interualla aut continuè, & voluntas non consentit, nequaquam peccatum esse potest. Ideo & Apost. dicit: *Scio quod non habitat in me; id est in carne mea bonum. Nō enim quod volo bonū hoc facio*, scilicet in carne: *Sed quod odi malū*, scilicet mente, *hoc ago*, scilicet cōcupiscentiam. * Si autem ego non ago illud sed caro: Ideò etiam mihi non imputatur ad peccatum. Vnde nullū periculum his qui sunt in Christo IESV. Quia eorum concupiscentia cui voluntas non consentit, non nocet eis. Debet itaq; bonus Religiosus omnes concupiscentias malas, quantum potest, abijcere; & in principio quando primò occurrunt resistere, & bona

Augustinus.

Rom. 7.

**Quia cōcupiscentia in carne hoc agit contra me.*

desideria assumere, & continuè vota sua, in mēte sua purificare, & videre quantum in eis proficiat, & quantum deficiat: quia in istis votis consistit perfectio instrumentaliter, eo quod sunt instrumenta perfectionis, & excludunt impedimenta perfectionis, & viam ad perfectionem præparant. Licet principaliter consistat perfectio in caritate, quæ nos vnit & copulat vltimo fini, id est DEO: qui est vltimus finis actionum nostrarum, in quo etiam felicitas consistit rationalis creaturæ. Deinde ex hac perfectione peruenitur ad opera caritatis, scilicet reddere pro malo bonum, quod est actio perfectionis: Quia est actus arduus, quem pauci habēt. *Qui autem manet in caritate, in DEO manet, & DEVS in eo*: & hoc modo vnitur DEO, & ex hac vnione perficitur; & quanto plus & feruētius DEO per caritatem adhæret, tantò perfectior est in hac vita.

1. Ioan. 4.16.

CAPVT IV.

Triplex totalitas.

HAec autem perfectio charitatis capitur secundum totali-

talitatem,quæ triplex eſt. *Primò* ſimpliciter,quo ad id quod diligitur vt 1.
diligatur quantum eſt diligibile. Et quia DEVS eſt infinit⁹,& omnis creatura finita; ideo à nulla creatura poteſt totaliter diligi, ſcilicet tantũ quantũ eſt diligibilis, ſed ſolus DEVS infinitè ſe diligit, & ſolus DEVS hoc primo modo ſe tantum tota- 2.
liter diligit. *Secundò* modo intelligitur totalitas diligendi quo ad totalitatẽ diligentis,vt totaliter in DEVM feratur actu dilectionis,ſine ceſſatione. Sic ſancti in cęlo habent totalitatem dilectionis. Quia totaliter ſimplici vnico non interrupto actu feruntur in DEVM ſine ceſſatione. Quia beatitudo eſt intrãs mutabilis actus: Ideò Sancti ſic in DEVM ſua dilectione totaliter tẽdunt, vt nunquam ad momentum à dilectione ſe auertant, & nunquam ab actu dile- 3.
ctionis quieſcant. *Tertiò* diligitur DEVS totaliter & perfectè, quando eius dilectioni nihil præponitur. Sic viatores in hoc ſeculo DEVM perfectè diligunt,quando DEI caritatem

habent, & ex hac caritate nihil diuinæ charitati præponunt, sed diligunt
Psal. 118. DEVM super millia auri & argenti, super omnia temporalia & transitoria, & super ac plusquam omnes creaturas. Et hæc perfectio est in omnibus qui sunt in gratia DEI. Et iste modus adhuc distinguitur. Quia aliqui sic totaliter DEVM diligunt, vt caritati nihil præponant, quamuis multis occupentur, scilicet rebus exterioribus & curis domesticis, alijsque occurrẽtibus negotijs ex propria voluntate: ita vt multum impediantur in syncera & pura caritate, & maximè in feruore caritatis. Qui feruor multum impeditur per occupationem rerũ exteriorum. Alij autẽ occasiones tales tollunt, & omnia à se abijciunt, quæ caritatis feruorem
Matth. 19. 21. impediunt. Et ideò audiunt Christũ dicentem. *Si vis perfectus esse, vade, & vẽde omnia quæ possides, & da pauperibus, & veni sequere me*. Et etiam
Ibid. abijciunt curam filiorum per castitatem, & fiunt secundum Euangeliũ Eunuchi voluntarij, castrantes se

pro-

propter regnum DEI, ac subijcientes sesuperiorum voluntati, vt non sequantur propriam voluntatem. Et ist sic auferendo occasiones solicitudinum & vitiorum, possunt venire ad perfectionem caritatis, & conseruare feruorem caritatis per diminutionem cupiditatis.

CAPVT V.

EX prędictis ergo liquidè patet, quod perfectio rationalis creaturæ consistit essentialiter & principaliter in caritate, & in vnione ad DEVM, & cōtēplatione ad vltimū finē. Quod facit caritas sancta, quoniā facit cor vnū amantē & amatū, per conformitatē volūtatis. Et sic etiam qui diligit DEVM & adhæret DEO per synceram & puram & sanctam dilectionem, vnus spiritus efficitur cum DEO. De quibus taliter adhærentibus Propheta in psalmo dicit: *Ego dixi DII estis*, scilicet participatione & non essentialiter. *Psal. 81. vers. 6.* Secundario autem instrumentaliter consistit perfectio in consilijs, scilicet abdicatione re-

rerum exteriorum, in vera paupertate, continentia & obedientia. In quibus tribus alia exercitia & instrumenta Religionis comprehenduntur, & ad ea reducuntur. Quia ad paupertatem reducitur vilitas vestimentorum, vilitas habitationis, vilitas ornatuum, & vilitas omnium, quæ ad vsum vitæ pertinent. Non enim debet verus Religiosus habere pretiosa, curiosa vel sumptuosa vestimenta. Nec alias res pretiosas vel curiosas, in quibus animũ occupet, & à caritatis synceritate impediat. Ad continentiam reducitur abstinẽtia, ieiunium, vilitas, & parcitas ciborum & potuum, quę iuuant ad cõtinẽtiam, quia *luxuriat rarò non benè pacta caro.* Sic etiam valet ad continentiam conseruandam sacra lectio, deuota meditatio, corporalis exercitatio, sacręque vigiliæ. Omnia namque ista & similia carnem macerant & debilitant, appetitumq; carnalis concupiscentiæ refrænant. Ad obedientiam verò reducuntur omnia statuta Religionum, quæ propriã restrin-

Continentiã quæ iuuent.

restringunt voluntatem: vt videlicet homo teneat obedientiam in religione, teneat silentium, & nõ transeat extra loca deputata sine licentia; Neque literas recipiat vel mittat sine licentia; aliasuè res paruas vel magnas. Omnia quippe ista tollunt impedimẽta caritatis & puritatis, multumq́ue ad cordis puritatem & stabilitatem adiuuãt. Per hæc namque cupiditates malæ refrænantur: Quibus refrænatis, & in parte extinctis: (Quia totaliter in hac vita non possunt extingui) sequitur puritas cordis. Et post hanc puritatem cordis sequitur caritas, quæ immediatè puritati annectitur & infunditur, ac mentem stabilit, & continuè ad maiorem stabilitatem perducit. Hæc etiam faciunt ad conuersionem morũ quã Religiosi prædicti, scilicet Ord. Cartus. ac S. Cistercienses in sua professione permittunt: vt scilicet mores suos continuè in melius conuertere per spirituale studium discant, & veram, sanctam, & promptam obedientiam seruent. Porrò ad stabilita-

Stabilitati quæ cōducant. litatem multum prodest sapientia vera, quia *sapiens est stabilis vt sol in virtute sua; stultus autē, vt Luna mutatur.* Et etiam Rex sapiens est stabilimentum populi sui, quia Rex est, quilibet Religiosus, qui se bene secundum suam Regulam debet regere, iste est stabilimentum populi sui, quia facit populum cordis sui: id est vniuersas cogitationes & affectiones sua sapientia cum Dei adiutorio stabiles. Valet etiam ad stabilitatē, cordis puritas in timore Domini: peccatum namq; facit cordis instabilitatē, & pungit hominem sicut muscæ pūgunt animalia bruta, & inquietāt ea. Vnde Hieremias deplorat peccatū, dicens: *Peccatum peccauit Iudas, propterea instabilis facta est*. Quia omnis fidelis qui DEVM confitetur, ille propter peccatum continuè pūgitur & mouetur. Ad hanc verò stabilitatem multum iuuant spes & caritas. De spe dicit Apostolus: quod *eā debemus habere sicut anchorā animæ firmam, & tutam incedentem, in interiora velaminis*, id est in ipsum cœlum.

Eccl.27.12.

Thre.1.8.

Heb.6.9.

lum. Quia tenet nauim cordis nostri, ne fluctuet, sed potius vt perseueret.

CAPVT VI.

CAEterum de amore potest intelligi illud prouerbiorum, *Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Quia efficit stabilitatem, & est sicut firma ciuitas, quę non mouetur. Iste etiam amor Christum tenuit in cruce vsque in finem. De isto etiam Apostolus dicit. *Caritas patiens est, & omnia sustinet* : Et ideò non mouetur per impatientiam & instabilitatem. Omnis namque instabilis caret vera caritate, patientia, & humilitate, ceterisque virtutibus, quæ mentem stabiliunt in gratia Spiritus Sancti, & in operibus bonis. Ideò Apostolus dicit: *Optimū est gratia stabiliri cor*; quia per gratiā DEI stabilitur in bono, sicut per vitium mouetur in malū. Bona autem opera & actio virtuosa stabiliunt cor in bonum, & exhauriunt sentinam vitiorum & instabilitatis,

Prou. 18. 19.

1. Cor. 13.

Heb. 13. 9.

Stabilitati quid aduersetur.

quæ otiositas administrat. Quia omnis otiosus in desiderio est. Huic autem stabilitati, quam promisimus in professione aduersatur remissio, & tepiditas conuersationis. Qui autem tepidi sunt, continuis laborant tentationibus, & raro superant eas, sed vincuntur ab eis, & cadunt, & ex hoc fiunt detestabiles coram DEO & hominibus, ac sanctis omnibus, & in seipsis miseri. De quibus in Apocalypsi legitur. *Non es calidus neque frigidus, sed tepidus, & ideo incipiam te euomere ex ore meo.* Non enim sũt calidi in feruore caritatis, & proposito proficiendi. Nec omnino frigidi in malitia, quia aliquando videntur habere bona, scilicet fidẽ, & aliqua opera bona, quia cum alijs cantant, & laborant, & etiam à multis abstinent malis; quamuis hæc plus ex timore seruili, & humano pudore ab eis fiant, quàm ex amore DEI. Ideò DEVS incipit eos euomere: Quia paulatim corruũt, & de ore DEI, deque numero iustorum, & corpore Christi mystico, quod ei per Charitatem

Apoc. 3. 16.

tatem adhæret, eijciuntur. Vnde admonentur tales in Apocalypsi, vt ad primam caritatem reuertentes, eam recuperent, & in ea salui fiant. Et videant vnde, id est, à quo feruore exciderint. Quia continuò debent attendere, cum quo feruore venerint ad Religionem. Tales autem vagi, & instabiles mente, qui multis desiderijs mouentur, varijs etiam vitijs implentur, à quibus tanquam à muscis pungũtur: Quam ob rem etiam corpore instabiles fiũt, vt nec stare possint quando orant; sed continuè ambulant, vt tędium cordis sui euadant. Tales etiam sæpius cogitant quomodo loca mutare velint. Nunc ad aliã domum, nunc ad aliud monasteriũ. Nunc ad aliam Religionem transire. Et vellent libenter esse sine iugo. Ideò namque sæpius mente ad varia currunt loca, vt essent absque iugo, & etiã corpore quandoq; perficiũt transitum, mente præcogitatum, vt fiant Apostatæ, non tantùm mente sed etiam corpore. Vtraque tamen Apostasia, scilicet tam mentis quam

Apoc. 2.5.

Instabilium religiosorum tentationes.

 corpo-

corporis est reprobanda : quia de v-
traque potest intelligi, *quod impij in*
Psa.11. 9. *circuitu ambulet*, sine stabilitate vir-
tutis. Sed & tales similes sunt diabo-
lo, qui perambulat terram & circuit
eam. Similes quoque sunt Cain, qui
eiectus à facie Domini vagus & in-
stabilis factus est in terra propter
a Gen. 4. 12. peccatum commissum in *a* Abel fra-
trem suum. Isti sunt *sydera errantia*,
b Vers. 13. vt in *b* Canonica B. Iudæ scribitur, &
sæpius corrumpuntur cũ Dyna quæ
c Genes. 34. 1. egressa, corrupta fuit, vt in libro *c*
Genesi legitur. Tales etiam occidun-
tur in peccatis suis, sicut Semei, qui
d 3. Reg. 2. vagabatur extra Hierusalem, & ideo
occisus legitur à Salomone, vt sacra
Cõtra monachos, vagè hinc inde cursitantes. testatur *d* Regum historia. Sic Reli-
giosi vagantes mente aut corpore ex-
tra monasterium aut religionem vi-
tiosè, sunt extra locum visionis DEI,
& ideo per peccatum occiduntur.
Tales manent extra Archam religio-
e Gen. 8. 7. nis cum coruo quem emisit *e* Noe ex-
tra arcam, qui non fuit reuersus:
Quia super cadauer quieuit. Sic ta-
les inuenientes consolationes suas

in

in cadaueribus ſecularium negotiorum, & in delitijs ſeculi abſorpti, rarò ad primum feruorem & propoſitum reuertuntur. Sed quantum poſſunt alios ad ſe trahere nituntur, vt eos pariter inſtabiles efficiant. Ideò vani ſunt in verbis & periculoſi, quia *ex abundantia* mali cordis loquitur os eorum.

CAPVT VII.

Porrò contra hæc mala debet valdè quilibet vigilare Religioſus, & omni ſtudio ad hoc tẽdere, vt corpus ſuum ſtabiliat & mẽtem. Corpus in loco, vt ſtet honeſtè & religiosè in choro, in Eccleſia & alijs locis vbi ſtandum eſt, & non citò moueatur ad recedendum, circũſpiciendumque ſine rationabili cauſa. Nec manibus ludat, nec pedibus, ſed reſtringat omnia mẽbra corporis, & habitum totius exterioris hominis ad honeſtatẽ. Nũc ſtãdo reuerenter & honeſtè quando eſt ſtandum: Nunc ſedendo religiosè & maturè,

Quo pacto religioſus corpus & animum ſtabilire debeat.

turè, quando eſt ſedendum. Similiter in alijs geſtibus honeſtè & maturè quilibet Religioſus ſe habere debet, vt omnia quæ exterius fiunt, de interiori homine procedant, & ei teſtimonium ſanctitatis perhibeant: Qualis namque eſt homo intus, talis etiam apparet foris in geſtibus & moribus & alijs. Quia mẽbra corporis & alia quæ exterius sũt in habitu veſtimentorum & cæteris, ab anima reguntur, & ad volũtatem iuſſionemque animæ gubernantur. Sic & mentem ſtabilire debet quilibet Religioſus in gratia DEI, ad quã continuè ſe debet præparare, vt continuè in gratia DEI proficiat. Et etiam in propoſito ſancto, in feruore quem habuit in primo ingreſſu Religionis, & diligenter penſare, quantũ in eo profecit, vel defecit. Et vbi inuenerit ſe defeciſſe, ibi videat cautè quomodo citò reſurgat, & ſe emendet: Et omni die in hac diſcuſſione permaneat: nempè mane & veſpere ſe diſcutiendo, qualis fuit in cogitationibus, affectionibus, & deſiderijs:

an fuerint à DEO, an à natura; An à carne, an à mundo, an à diabolo, an verò ad virtutes tendebant; An ad vitia, an virtutes in superficie intendebant, & intus ad vitia corruebant: sicut sœpius contingit viris Religiosis, quibus vitia sub specie virtutum occultantur. Et *angelus Sathanæ trāsfigurat se* sæpius coram eis *in angelū lucis*. Ideò omnia desideria cordis debet quilibet Religiosus discretè, sapienter, & humiliter in timore DEI examinare, sicut examinatur aurum. *Primò* in pondere, an habeāt pondus grauitatis & maturitatis, an certè ex leuitate mentis procedant, & ad leuitatem instabilitatemq́ue tendant. Quia si hoc repererit, statim abijciat. Si verò maturitas in eis inuenitur, tunc de imagine videre debet, an habeant imaginē DEI, Christi, aut Sanctorum. Quia si imaginem DEI habent, in vera caritate & iustitia, quæ sunt in DEO, tunc certè bonæ sunt, & retinendæ. *DEVS etenim caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet*, & imaginem DEI ac si-

2. Cor. 14.

Cordis desideria vti discutienda.

Leuit.10. 44. ac similitudinē eius in se retinet: Similiter sāctus & iustus est DEVS, & nos ad sanctitatem hortatur, dicens: *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum DEVS vester.* Hæc sanctitas in vera consistit iustitia, quæ est in DEO.
Psal.10. 7. Quia scriptum est: *Iustus Dominus, & iustitias dilexit.* Sic videre debemus, an desideria cordis nostri tendant ad mititatem & humilitatem. Quia tūc Christi imaginem, & similitudinem habent, quia Christus dixit. *Discite à*
Matth.11. 29. *me quia mitis sum & humilis corde.*

CAPVT VIII.

Ista autem examinatio faciēda est in omnibus alijs virtutibus. Quia videre debemus si nostra desideria tendant ad veram patientiam, veram continentiam, pietatem, & humilitatem, & ad cęteras virtutes, quę in Rege nostro IESV Christo & suis militibus, id est, sanctis eius conspiciuntur. Quia si talia desideria concordant cum virtutibus, & ad virtutes quæ in Christo sunt & sanctis

eius,

eius, ordinantur, tunc habent imaginem Regis. Ideo assumenda sunt tanquam à DEO misericorditer nobis immissa. Et nihilominus ponderare splendorem debemus & interiorem valorem, ne fortè admisceatur plũbum cupiditatis, aut cuprum impatientiæ, per impatientiam sonans, aut aliud metallum vitiosum. Quia quando hoc reperitur, tunc citò eijciendum est. Vnde si affectus vel desiderium aut cogitatio cordis tendit ad malum siue manifestum siue occultum, quia forte ad superbiam, vanam gloriam, inuidiam aut cetera vitia vel ad mentis rigorem sub specie iustitiæ, aut contra exempla Christi & Sanctorum, aut ad propriã voluntatem & propriam complacẽtiã, ita vt nutriat intus & occultè superbiã, vel aliud vitium, tunc subito DEVS inuocandus est, & Christus in cruce intuendus, atque dicendum: *Dñe vim patior, responde pro me.* Insuper & signũ crucis est faciendũ & dicẽdũ: *Domine adiuua me, ne vincat me tẽtatio, ne superet me hostis malignus;* *Esa. 38.* 14.

DEVS

Quid orãdum, cum grauis ingruit tentationum procella.

Deus in adiutorium meum intẽde, Domine ad adiuuandum me festina. Ego enim à me non habeo tantam fortitudinem, vt poßim resistere per me: Ideò adiuua me tua paßione, & fac me in ea habere patientiã, vt similis tibi in paßione efficiar. Absit à me Domine (dicẽdum)*vt ego me vindicem, cùm videam Dominum DEVM patientißimè suspẽsum in cruce, & non se vindicantẽ neque maledicentem, neque etiam comminantem. Cùm tamen vnica cogitatione potuisset omnes in ignem misisse æternum. Absit à me vt sequar carnales delectationes: Imò potius abstrahã me ab eis & custodiam, vt tibi DEO meo in paßionibus aßimiler. Scio enim quod quanto similior fuero in paßionibus, tantò etiam plus aßimiliabor in gloria.* Et fortiter tenendus est anim' in pugna ne vincatur à vitijs scilicet cogitatione, per cõsensum. Sed cogitandũ est si cõsentis, tunc animã maculas, immo eâ interficis. Quia *anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, vt Propheta dicit. Si igitur cõsẽtis, tunc victus es & occcisus. Et hoc modo

Ezech. 18. 20.

DEVM

DEVM expellis,& eius fili⁹ esse desinis; diabolũ aduocas,& per cõsensũ ex eo nasceris,& per cõsequẽs amittis æternã & verã hęreditatẽ, & acquiris tormenta perpetua, à quibus nunquam liberaberis. Nec tibi de pœnitentia blandiaris: quia forte eã non facies, vel cito post perpetratũ peccatum morieris. Et etiamsi fortè ad tempus superuixeris,tunc vnum peccatum alterum prouocat, sicut scriptum est, *abyssus abyssum inuocat:* Psal. 41. 8.
& de vno peccato ad aliud cadis: Nec resistere poteris,eò quod amicitiam & gratiam DEI per quam resistitur peccatis,amisisti.Hæc diligenter & similia tempore pugnę cogitãda sunt,& consensus tenendus.Similiter manus, pedes, & alia membra, ne seruiant peccato & iniquitati. Et si in huiusmodi certamine & lucta contristamur mente, & affligimur resistendo videlicet delectationibus carnis & alijs vitijs; sit consolatio nostra spes præmij. Quia dolor iste * valdè meritorius est, & est tristitia secundum DEVM & sancta, vnde etiam

iam suo præmio nequaquam carebit. Hunc porrò laborem quo sic vitijs resistimus modo prædicto cum DEI adiutorio, DEVS intuetur, & nos ad laborem hunc hortatur, auxiliũ promittens ad vincendum, & victoribus præparans coronã æternã. Vnde cuilibet tali certatori dicit. *Confortare & esto robustus. Ego te non deserã nec dimittam, sed introducam te & populum tuũ in terram melle & lacte manantem. Quia post victoriam dabo tibi spiritualem lætitiam, & delitias mentis dulciores melle & lacte. Et post hãc vitam dabo tibi æternam gloriam pro victoria*. Hæc & similia ante tentationem & in tentatione sunt cogitãda, vt sic mens teneatur ne consentiat, & membra corporis ne executionem praui desiderij faciant.

CAPVT IX.

Animus quo pacto in bono firmandus.

FIrmandus insuper sic est anim⁹ in omni bono, vt paratus sit bonum opus pro posse semper in gratia DEI perficere, nulla libẽter

ter & patienter ſuſtinere, & Chriſti paſſionibus communicare. Et accedente tentatione, locum ſuum, ſeu mentis ſtabilitatem, & ſancti propoſiti, nequaquam deſerere, ſed dolorẽ ad tempus ſuſtinere: Sciens quod talis dolor ſatisfacit pro peccatis & pœnis purgatorij. Similiter purgat animam, humiliat & præparat eam ad maiorem gratiam ſuſcipiendam, & aſſimilat eam Chriſti paſſionibus, facitque eam compati infirmitatibus aliorum. Quoniam ex his quæ patitur, diſcit experimentaliter compati. Itaque continuè ſuper cuſtodiam cordis noſtri ſtare debemus die ac nocte in proſperis & aduerſis, & attendere quid dicatur nobis, & etiam quis nobis loquatur. An ſit DEVS qui ſemper loquitur pacem in plebem ſuam, & exhortatur ad mundi contemptum, vitiorum extirpationem, & ad inquirendum veras virtutes, & vera cordis gaudia, & æternam beatitudinem. Quia tunc cum reuerentia ſuſcipienda ſunt iſta
deſide-

desideria, & DEVS qui cum eis venit. Si autem exhortatur ad superbiam, iracundiam, singularitatem, propriam æstimationem, elongationem denique à virtutibus, & ad vera manifestaque vitia, seu ad occulta, nequaquam est consentiendum, sed mens cito conuertenda ad alia. Vt paruuli Babylonis, id est primi motus vitiorum allidantur ad petram, id est in meditatione & inuocatione passionis Christi. Et quando perseueraueris in hoc exercitio spirituali, & tali purgatione tritici, purgando vigilanter triticum bonarum affectionum à lolio & zizania prauitatis, tunc multam addisces discretionẽ. Et DEVS tibi multa reuelabit, quæ in codicibus nequaquam inuenies. Faciet te namque per puritatem cordis, quam prædicto modo acquires, peruenire ad charitatem, & ad sapidam sapientiam: ita vt iam non in superficie verborum ornatorum gaudeas, sed in speciali dulcedine, & medullis caritatis, & sapientiæ suauissimæ epuleris, & cognoscas

per

per experientiã, quoniam ſuauis eſt Dominus. Et de iſta puritate animæ procedere debent verba tua, & opera, vt ſis matur⁹ & rarus in loquẽdo, & proſpicias cui, quid, quomodo, quando, & qualiter ſit loquendum in loco & tempore debito. Cum humilitate, voceq́ue ſubmiſſa, & ſerena, ſicut te docebit Spiritus Sanctus, qui in iſta puritate, caritate, & ſapida ſapientia quieſcit. Sic etiam docebit te operari rectè omnia in temporibus & locis ſuis, ſecundum congruentiam locorum & temporum. Nũc corporaliter nunc ſpiritualiter, vt omnia ex caritate procedant honeſtè, ſine reprehenſione, & ad caritatẽ tendant ac perducantur.

CAPVT X

EX prędictis porrò videbis quomodo ſtabilitas acquiritur per virtutes, & quomodo inſtabilitati vitiorum eſt fortiter reſiſtendum; Et tunc peruenies ex his ad conuerſionem morum, quæ ſecundum ſtatuta noſtra, cum multis alijs Religioſis *De morũ conuerſione.*

 gioſis

giosis promisimus, in professione, vt mores nostri in melius commutentur, vt iam nõ viuamus sicut prius secundum desideria carnis, & communem cursum huius mundi. Sed poti' viuat in nobis Christus, qui regat omnia interiora nostra & exteriora. Quod tunc fit quando omnia nostra interiora & exteriora ad gloriam DEI secũdum eius voluntatem perficimus.

Hæc cõuersio morum primo quidem est diligenter in ratione prouidenda & ponderanda. Quomodo videlicet & qualiter secundum præcepta DEI, & Statuta nostra Regulamque nostram, quam in Statutis habemus, obligamur. Nam & Papa Benedictus vndecimus, in quadam epistola sua, vocat Statuta nostra Regulam nostram, quam dicit inter alias approbatas regulas per Ecclesiam, arctiorem. Secundum igitur præcepta DEI, secundũ Regulã nostrã, & scripta sanctorum, debemus primò emẽdationem concipere. Deinde voluntariè assumere, & opere adimplere,

vt continuè de virtute in virtutē ꝓficiamus, & fortiores omni tempore contra vitia cũ auxilio DEI efficiamur. Vt habeam⁹ mortificata desideria, & voluntatē mortuā peccatis: Vt viuat virtutibus. Et etiam vt interiora & exteriora extendamus, seruire virtutibus, sicut prius seruierunt vitijs: quia hoc modo rectè mores mutamus in melius. Valde autem attendendum est Religiosis, vt continuè se discutiant & in melius proficiant. Quia si negligunt in primo feruore mores emendare, & in melius conuertere, tunc rarò proficiunt, sed mala consuetudine ligabuntur ad vitia, vt postea fiant insanabiles. Vnde videmus nihil esse peius malis & peruersis Religiosis: Et habent se sicut lignum vitis, quod si & quando fructum non facit, peius est omnibus lignis syluarũ, quia ad nullum opus est vtile, quia nec paxillus inde fieri potest, nec aliud quodcũq; instrumentum: Sed tantũmodo igni deseruire potest. Sic sunt mali Religiosi, qui mala cõsuetudine sunt obdura-

Nihil pei⁹ malis religiosis.

durati, quia ad nihil valent nisi ad ignem malitię & pœnæ infernalis, vt ibi secundum demerita sua sine fine ardeant. Quando autem lignum vitis fructum perducit, tunc omnibus lignis est melius. Sic boni Religiosi qui quotidie mores suos in melius conuertunt, meliores sunt omnibus: nam vix tam boni & virtuosi inueniuntur, sicut sunt illi qui in religione benè proficiunt: Sicut etiam testatur B. August. vix tam peruersi inueniuntur sicut qui in Religione deficiunt, & malas & vitiosas consuetudines vix vel nunquam mutant. Sicut enim Aethiops nō potest pellem suā mutare, sic nec illi cōsuetudines suas malas, cum didicerunt facere malè. Et ideò in principio diligentia est adhibenda: quia tunc flecti possunt, sicut nouellæ virgulæ quæ in principio flectunt; sed quando in trabes crescunt, flecti non possunt. Postquā autem obdurati fuerint in consuetudine mala, & flecti ad emendationē debent & dirigi, tunc irascuntur, & sæpius per impatientiam frāguntur.

Epist. 137. in fine.

Hierem. 13. 23.

Iste

Iſte autē defectus & mala conſuetudo generatur primo ex defectu rigoris & diſciplinæ: Quando namque deficit rigor, & diſciplina non apponitur, tunc cupiditas liberè vagatur, & ſequitur ſæpius ratio & volūtas cupiditatem pluſquam diſciplinam, quia dormitat. Et etiam plus quam charitatem, quæ non ponderatur ſicut deberet ponderari. Ideo prælati debent eſſe ſoliciti, vt diſciplina & rigor ſeruetur. Vt ſic ſerpēs per arctum foramen tranſiens, veterem deponat pellem, & nouam aſſumat. Conſideret igitur & attendat diligenter prælatus ne dormitet diſciplina. Sed conſideratis circumſtātijs perſonarum, locorum & temporū, diſciplinā apponat, & ſanet morbos ſpirituales vitiorū, nè in deterius ex omiſſione diſciplinæ creſcant. Secundò creſcit iſta mala conſuetudo & irreligioſitas ex defectu doctrinę. Vt quando prælatus temporalibus nimium intendit, & ſpiritualia negligit, nec facit exhortationes contra vitia, tunc creſcit morbus vitiorum,

qui per ignita eloquia non destrui-
Psal. 118. tur. *Ignitum namque eloquium Domini vehementer, & seruus DEI diligit illud*, & istud eloquium DEI accendit corda tepida, comburit malas concupiscentias, & ad spiritualem feruorem mentem excitat. Vnde in canticis Canticorum sponsa dicit:
Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*. Liquefit namque anima, & recedit à volũtate obstinata, pertinaci, dura, & resoluitur per ignitum DEI sermonem, & fluit sicut cera à facie ignis. Et ideò prælatus debet habere scientiam, vt sit potens & efficax in exhortando. Tertio hæc mala oriuntur ex defectu boni exempli. Quando enim Nouitij bona exempla, secundũ quæ formentur nõ vident, tunc discunt sæpius mala quæ in alijs vident. Et cernunt sępius seculares in habitu Religioso, immò peiores quibusdam secularibus. Et sic commiscentur inter gentes: id est, ad similitudinem gentium viuentes, & discunt opera eorum quæ non sũt bona sed mala. Ideo fit eis hoc in

scan-

ſcandalum. Quibus nõ multum prodeſt, imo valdè nocet habitus & ſtatus religioſus, ex quo opera non ſequuntur. Quia circumciſio nihil valet, ſi mandata DEI non cuſtodiũtur. Sic etiã nihil prodeſt iſtis quod orẽt & Miſſas celebrent, quando ſe non emendant. Immò plus nocet. Nam valdè damnabile eſt habere nomen magnæ ſanctitatis & ſacræ religionis, cum habitu & ſine re & ſine veritate. Ex iſtis igitur exemplis peruerſis bona voluntas Nouitiorum ſæpius corrumpitur & peruertitur. Et ideo prælati Religioſorum ac cæteri cautiſſimè ſe habere debent, vt alijs, & præſertim nouellis Chriſti militibus, exempla virtutis oſtendant, quibus ad virtutum opera & ſpiritualem profectum prouocentur. Quia in moralibus plus ædificant opera quam verba.

CAPVT XI.

Nouitijs quid facere incumbat.

DEbent porro etiã nouitij bonã volũtatẽ q̃ primo aſsũpſerũt firmiter retinere, & in ea patiẽter ac for-

fortiter perseuerare. Mala exempla peruersorum non attendere, sed bonum semper pro posse imitari, & ad aduersa continuè se præparare, & in bono iugiter proficere, vt sic DEO semper placeant, & omnem DEI voluntatem adimpleant. Bona pro posse faciant, vt ad æterna bona, in quibus præmium suscipiant, perueniãt. Et post hæc ad perfectam obedientiam accedant, quia & obedientiam vouent: Ideò semper eam seruare debent, & in ea proficere, vt obediant voluntati superioris tanquam DEO. Quia loco DEI præest, quia Christus
Luc. 10. 16. dixit de prelatis. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit* Ideò valdè cautè respicere debemus, vt DEO obediamus in iussionib9 superiorũ nostrorum, siue ista iussa nobis innotescãt verbis, siue signis quibuscũq;. Bonum, etiam non necessarium quandoque propter obedientiam est intermittendum, malum autem nunquam ex obedientia faciẽdum. Quia plus est obediẽdum DEO, qui omne peccatum prohibuit, quam homini
qui

qui peccatum præcipit. Voluntas autem Religiosi debet esse prompta superiori, & habere respectum ad DEVM, ex cuius amore velit placere superiori & obedire. Et etiã quo ad hoc vt bonum obediẽtiæ acquirat, id est meritum in pręsenti per gratiã, & præmium in futuro per gloriam. Et quantò plus volũtas mouetur ex pura obedientia, & non ex proprio desiderio, & complacentia, tantò melior & fructuosior est obedientia. Et ideò in duris & asperis vbi voluntas non habet propriam complacentiã, quia nec eam desiderat, ibi est perfectior obedientia, & ex consequenti maioris meriti. In prosperis verò ad quæ mouetur homo ex propria cupiditate, & non facit ea tam ex obedientia, quã ex propria complacentia: Ibi obedientia minimi est meriti. Quia non ex obedientia mouetur, sed ex propria cupiditate. Si autem in prosperis mouetur quis ex bono obedientiæ, & nõ ex cupiditate propria, quæ licet eum pulsaret, non tamen consentiret, sed soli obedientię

inhæreret; talis certè nō careret merito obedientiæ in præsenti neque in futuro.

CAPVT XII.

CAEterum debet etiā Nouitius quilibet ante promiſſionē examinari, & ſeipsū benè examinare, an velit & poſſit Regulā ſeruare, quā intendit vouere. Profeſſionāq; fit communiter ſecūdū Regulā; licet hoc expreſsè ſic non dicatur. Vnde Papa Honorius III. ſcribit, vt habetur in decretalibus *de Regularibus* & tranſeuntibus ad Religionem in capitulo *ex parte*. Quod illi qui ad annum ſteterūt in habitu monachali, cōpelli debent, vt profiteātur Regulam, ſecundum modum ordinis, quia anno elapſo in probatione, quādo non eligunt exire, debent cōpelli ad profeſſionem, ne terram duabus vijs ingrediantur: Scilicet in habitu religioſo, & vita ſeculari, & ſic profitentur Regulam. Non quod omnia quæ ſunt in Regula cadant ſub voto: Sed tria ſubſtantialia regulæ tantū: Vt eſt paupertas, continentia, & obedi-

Non omnia quæ ſunt regulæ, ſub voto cadunt.

bedientia, & illorum transgressio est mortalis, Sed professio regulæ intelligitur, quod velit se emendare & dirigere secundum regulam, quam profitetur. Et ideò vouet regulam, id est, emendationem vitæ secundum regulam, siue sit Carthusien. quæ in eorum statutis habentur, quæ totaliter sumpta sunt, aut de sacra scriptura, vel ex iure Canonico, aut ex regulis & scriptis autenticis doctorum Ecclesiæ. Et sic Regula Carthusien. non est alia Regula, à Basilij, Benedicti, Augustini, Francisci: Sed de omnibus istis est compacta simul, vt patet cuilibet intuenti eam. Quia multa sunt de sacra scriptura accepta in eorum statutis & ordinationibus: Multa insuper de iure quæ tædiosum esset per singula explicare. Et de regulis Sanctorum scilicet Benedicti, quo ad diuinum celebrandum officium, quo ad professiones & culparum emendationes: Sic etiam de Regula S. Aug. quomodo debeant habere mutuò veram pacem & caritatem, quam etiam

Cartusianorũ statuta vnde sint desumpta.

Visitatores eiusdem ordinis debent procurare, & dimittere in qualibet domo Ord. post visitationem. Et de ea præcipuè debēt interrogare tempore visitationis. Hæc Aug. in regula sua in principio ponit. Deinde de prouisione facienda cuilibet secundum suam necessitatem. Hoc etiam in Statutis Carth. habetur Ordinis: scilicet quomodo infirmos humanè & sincerè tractare debeant. Cætera quæ in regula S. August. habentur, à Carthus. seruantur, in emendatione culparum: in sacris lectionibus, in obedientia & in prælati pręsidentia, & quomodo spiritualibus intendere debet. Similiter de regula S. Basilij multa receperunt ad pręcepta DEI seruanda, & ad mutuam nutriendam caritatē; & ad dilectionem DEI acquirendam, & in ea proficiendum. Similiter concordant multa cum regula S. Francisci, scilicet de Obediētia, & de poenitentia, quomodo confitentes piè debēt tractari & instrui. Alia autem quæ ponuntur in regula Beati Benedicti de ministro coquinæ com-

committunt Cartuſien. vni de fratribus eorum laicis. Et etiam quia non ſingulis diebus comedunt in refectorio, ideò etiam non omni die ibidem fit lectio. Et cætera multa ſunt, quæ Cœnobiticam vitam reſpiciũt, & ideo non ex toto Cartuſien. conueniunt. Et etiam de Regula B. Aug. non receperunt Balnea: quia eis non vtuntur, & etiam quædam alia, licet pauca ibidem contineantur, quæ à Carth. non ſuſcipiantur. Porrò in Regula S. Franciſci ſunt multa de ordinatione miniſtrorum, & cuſtodũ, & de prędicatione, & miſſione fratrum contra infideles ad prædicandum, & etiam de paupertate vera, quia nec in communi propria habere poſſunt Minores, quæ non receperunt Cartuſienſes: Non quia mala eſſet, ſed quia non conueniunt eis, eò quod non mendicent, ſed de eleemoſynis viuant, quæ eis apportãtur: Et etiam quas habent de poſſeſſionibus & dotationib' monaſteriorũ, & agrorum culturis, & de nutritura animalium. Quæ omnia principali-

ter & primò ex eleemosynis veniũt, & à bonis & deuotis hominibus pro salute animarum suarum data sunt & assignata. Nec etiam extra monasteria publicè prædicant: Vnde talia Statuta de prædicatione & emissione contra gentiles ac infideles non potuerunt recipere. Sed à regulis omnibus hinc inde receperunt ea quæ suo proposito magis conueniunt. Et ideo hic sacer Ordo non est omnino distinctus ab alijs Ordinibus; nec eorum regula ex toto distinguitur à regulis aliorum, sed potius in eis clauditur & continetur, & à multis summis Pontificibus eorum regula, quæ appellantur eorum statuta, est approbata & confirmata: sicut in alio quodam tractatu de approbatione & confirmatione Ordin. Cartusien. latius scripsi. Qui igitur professionem facit, iste Regulam profiteri debet, vt Honorius Papa tertius dicit, vti superius est allegatum. Ideo quilibet seipsum benè examinare debet; tam vires quam

Cartusianorũ statuta à varijs Romanis Pōtificibus approbata.

volun-

voluntatem, an possit & velit implere opere quæ in Regula seu Statutis continentur. Et quando professionem faciunt, & regulam profitentur, non omnia quæ in regula ponũtur cadunt sub voto, vt quidam minus cautè dixerunt. Nam si sic esset, videlicet quod omnia caderent sub voto, & quod eorũ transgressio esset mortalis: Tunc sine dubio Status Religionis esset periculosissimus: Et SS. Patres qui Regulas instituerunt, interfectores animarum fuissẽt: Et potius retia ad capiendum & perdendũ animas quã ad saluandum posuissẽt. Sed absit inquam absit, hoc à Sanctis Patribus. Imò magnũ nefas esset, hoc de eis cogitare. Sed regulas posuerũt & instituerũt, & professores suos obligauerũt, ad susceptionem & obseruationẽ regulæ. Vt præcepta suscipiant, sicut sunt tria essẽtialia vel substãtialia? Quorũ transgressio mortalis est, sicut & incontinentia inobedientia & proprietas. Alia autem, sicut monita, vel adhortamenta suscipiẽda sũt, & ex modo traditionis eorum,

Nõ omnia Statuta sub voto cadunt, ita vt ad mortale obligent.

rum, & ex materia subiecta considerãda. Et plus harum differentiarum docet DEI vnctio quam lectio, quid videlicet sit præceptum, & quid sit admonitio & exhortatio. Et etiam possunt intelligi quædam mandata maiora, & quædam minora, sicut in Euangelio habentur. Et sic transgressio maiorum mandatorũ esset mortalis, sed non minorum. De maioribus mandatis intelliguntur præcepta directa ex intentione præcipientis, & ex materia subiecta. Sicut ea quæ ad prædicta tria pertinent, & ad virtutes & præcepta regulæ: Et præcepta virtutum scilicet Caritatis & Iustitiæ. Quia istorum trangressio scilicet contra caritatem aut iustitiã facere, aut contra alias virtutes, quæ in caritate includuntur, & necessariò seruantur, esset mortaliter peccare. Vnde prohibitio de fractione silentij, & similia parua, si non custoditur ad punctum, non est semper peccatum mortale, scilicet quando fit verbis paucis. Et in casu putatur fortè exceptus: scilicet necess-

Fractio silentij an peccatum lethale.

necessitatis vel magnæ vtilitatis, vel ne alius offenderetur ex taciturnitate, & spe veniæ loqueretur quis pauca verba, non esset mortale. Similiter de alijs præceptis paruis si ex eisdem & consimilibus causis transgrederētur, non esset mortalis eorum transgressio: Scilicet ex obliuione, ex inconsideratione, ex certo & bono motiuo, & cæteris causis consimilibus excusantibus. Secus autem esset, si ex contemptu præcepti vel præcipientis: Quia fortè indignus reputaretur; vel fortè quis cogitat, quod non velit ei placere per obedientiam, & sic vilipenderet & contemneret præcipientem, vel etiam præceptum, quia sibi contrarium est, & suæ cupiditati displicet. Et etiā fortè modum præcipiendi contemnit. Et sic deridet & vilipendit: aut irascitur de præcepto, vel de monitione, quæ est pro conseruatione Religiosæ vitæ. Et in isto malo & obdurato proposito cōtrarium facit, vel prohibita faciendo; vel iussa non implendo cùm posset, graue est peccatum.

Contemptus omnis mortalis est.

CAPVT XIII.

Precepta negatiua & affirmatiua.

PORrò distinguenda sunt præcepta ista & monita: quia quædã sunt negatiua, quæ nunquã sũt transgredienda, quia ad semper obligant. Quædam sunt affirmatiua, quæ non sunt impléda omni tempore & hora: nec possunt impleri taliter scilicet pro tempore & loco. Sicut etiã præcepta affirmatiua: quæ DEVS dedit de diligendo, quia omni hora & momento impleri actualiter nõ possunt. Et est etiam considerandũ quod quædam præcipiuntur supra regulam, quæ strictiora sunt, quam Regula ponit. Sicut est ieiunium id quod Regula non habet. Imò concedit in æstate binam refectionem. Hoc ieiunium nõ potest superior absq; causa rationabili instituere, nec similia quæ supra regulam sunt. Quia obedientia extẽdit se ad ea quæ in regula continentur, & non vltra. Et ideo si vult vltra percipere Superior, non est subditus obligatus. Vt si Prior in Ord. Cartus. præciperet vt in æstate ieiu-

Vide Tractatum D. Bern. de præcepto & dispensatione.

ieiunium omni die seruaretur; aut si
prçciperet monacho, vt ad prædicā-
dum populo exiret monasterium, si-
cut faciūt Minores & Prædicatores.
Alia est obedientia infra Regulam,
sicut quando prçcipiūtur ea quæ non
sunt concessa, vt quia statutum est de
ieiunio & abstinentia, & ideo si Su-
perior præcipit, vt abstinentia non
seruetur in certo casu. Ista obedien-
tia est gratia, & est infra regulā, sed
obediēdū est ei. Quia fortè ipse con-
siderat circumstantias certas ex qui-
bus mouetur ad hæc concedenda. Si
tamē Monachus cert' esset quod non
indigeret gratia, non esset obligatus
ad obediendum. Quia plus est obe-
diendum Regulæ, quam Priori, vbi
saltē nulla subest causa. Tamē facili-
ter non debet ista Subditus iudicare:
sed potius obedire humiliter, gratiā
recipiēdo. Et si fortè hodiè benè ab-
stinere posset, sine nocumento; igno-
rat tamen si noceret postea. Vnde in
caritate humiliter est obediendum.
Alia est obedientia & iussio propter
Regulam, vt quādo iubetur aliquid,
quod

quod ad Regulam non pertinet, & requiritur obedientia à subdito in his quæ sic sunt præter regulam; Vt iubere & præcipere, quod festucam de terra leuet, vel vt vnum oculum claudat, & cum alio videat, vel similia quæ ad rem non pertinent, nec sũt alicuius vtilitatis. Nam in his nõ est necesse obedire. Quia prælatus non potest exigere obedientiam, nisi secundum regulam. Tamen in his cautus debet esse subditus, vt nihilominus obediat quandocunque absque peccato facere potest. Quia fortè DEO hoc placet, vt sic probetur an sit in omnibus licitis obediens. Vt surgat quando sibi iniungitur, calamum de terra leuet, quamuis nullũ impediat, quia adhuc tam vtile est in his obedire: quia per frequentes actus obedientiæ frangitur propria voluntas, & ad hoc vtilis est talis obediẽtia. Prælati tamen debent esse multum cauti secundũ ꝙ admonentur in statutis Ord. Cartus. quod nõ sint veloces & proni ad percipiendum, propter periculum præcepti.

Parte 2. nouæ collect. statutorum, cap. 3. 20.

Nam

Nam quicquid prçcipitur, necesse est fieri. Et si non fit, túc transgressio nó sine magna culpa, scilicet quando potest impleri præceptum, & non impletur ex quacunque causa non rationabili.

CAPVT XIV.

Est autem & adhuc alia obediẽtia & iussio, quæ est contra regulam: videlicet quando Prælatus ea iubet quæ regula prohibet, & requirit in his obedientiam à subdito. Nam tunc non est obediendum prælato inferiori, sed regulæ & statutis, quæ sunt super Prælatum, quibus etiam ipse Prælatus debet esse subiectus. Et solum à generali Capitulo secundum Summi Pontificis cócessionem possunt mutari: Et etiam in his quæ sunt cõtra DEI aut Ecclesiæ aut Summi Pontificis præcepta. Quia tunc plus obediendũ est DEO, Ecclesiæ, Papæ, Capitulo generali & alijs prælatis, sub quibus est Prior quilibet in Ord. Cartus. Inferior nãque non potest contra superiorem

Statuta sunt supra Prælatum.

quic-

quicquã percipere, neq; eius præcepta tollere. Sed talis est seruãdus Ordo, vt sẽper Superiorib' plus obediatur: Et ideo plus Visitatoribus est obediendum quã Prioribus. Et Priori Cartusiæ maioris, plus quã Visitatoribus. Et diffinitoribus generalis Capituli, à quibus etiam Prior Cartusiæ cum sua domo est corrigendus, plus est obediẽdũ quã Priori Cartusiæ. Et Papæ plus qnam diffinitoribus. Et DEO plus quam Papæ. Hoc semper intellige, quãdo diuersa aut contraria præciperentur, quę simul impleri non posset. Tamẽ quãdoq; Prior vel Prælatus ali' potest pęrcipere aut licẽtiã dare contra verba præcepti Superioris; licet non contra mentem. Quia fortè in aliquo casu præceptũ superioris si seruatur ad literã, tunc militat contra caritatem. Cum tamẽ omnia præcepta, & regulæ Sanctorũ & DEI seruire debeant caritati. Et ideo quando militarent contra caritatem, tunc in potestate essent Prioris in his dispẽsare vel interpretari. Imò quilibet in hoc casu si necessitas

incum-

incumberet & periculū esset in mora, in timore DEI contra verba statutorum vel præcepti facere posset. Exēpli gratia: Statutum est in Ord. Cartus. q͞ non debent comedere carnes. Et illud statutū strictissimè seruandum est, & transgressoribus grauis imponitur pœna. Tamē si aliquis Carth. erraret in sylua, vel fortè esset in mari videlicet in naui, & deficerent oēs cibi exceptis carnibus, ita vt oporteret eum mori si non vesceretur carnibus: In tali casu nulli dubium esse debet, quādo bona consciētia carnibus vti posset. Si. n. hoc non faceret, vtiq; interficeret seipsū, scilicet fame moriendo. Quod esset mortale peccatum. Sic suo modo de alijs Statutis discendum est in similibus casibus, quando eorum obseruātia contra caritatem militaret. Et ideo Sanctus Benedictus posuit Regulam in manu & potestate Abbatis, vt secundum diuinam caritatem præ cæteris eam seruet, vt moderari possit singula quò in caritate impleri possint. Sic &

An Cartusianus in vllo casu vesci posset carnibus.

omnia

omnia Statuta humana, in quantum seruiunt caritati, ad quã ordinantur, seruanda sunt, alias non. Et superiores qui ad regendum populum & cõmunitates ponuntur, in eo ipso quod pręficiuntur plebibus, tunc etiam legibus, vt videlicet possint ea moderari secundum caritatem: Et ideò dispensare possunt, nisi prohibeantur. Hæc est sententia Sancti Thomæ in prędicta re, & multorum iuris doctorum. Et ratio concordat, licet quidam oppositum dicant. Quorum opinio tunc est vera, quãdo sine causa rationabili dispensarent; & etiam quando faciliter superiorem adire possent, qui legem condidit, & illa dispensatio in Ecclesia pertinere potest ad Episcopos. Si autem haberi commodè non posset, & periculum esset in mora, tunc inferiores prælati & curati hoc facere possent. Et si nõ facerent, tunc vtique contra Caritatem præcepta militarent, vt præsupponitur in casu hoc. Sed in religione nostra Carth. Visitatores in hoc sunt requirendi, & si periculum esset in

mora,

mora, tunc possent hoc Priores facere, & postea hoc indicare Superioribus, vt ad cautelam ratificarent. Et sunt in Statutis multæ exceptiones positæ, licet non omnes potuerunt præuideri. Et ideò si quandoque occurrerent, tunc agendum esset sic, quod contra Caritatem nihil fiat, sed omnia secundum caritatem procedant. Et hæc non tantum in præceptis & Statutis humanis sunt intelligenda, sed etiam in præceptis diuinis, vt non semper seruentur verba legis, sed intentio quæ est secundum caritatem, sicut cuiuslibet pij & boni legislatoris esse debet. Vnde præcepta caritatis non recipiunt dispensationem, quia contra ea non est lex neque præceptum: sed alia præcepta quæ omnia ex caritate oriuntur, & ad eam reducuntur, interpretationē & moderationem secundum caritatem accipiunt. Vt est præceptum de obseruatione Sabbathi. Nā in casibus multis, quando necessitas occurrit, vel magna vtilitas, potest fieri labor corporalis; vt si bos in puteum

Notabilis cautela.

D cadit

cadit, vel si res aliqua est peritura, si non colligatur Sabbatho. Et sic halecca capi possunt, quando occurrunt in Sabbatho & diebus festiuis, sicut Papa interpretando præceptum DEI concessit. Similiter præceptum illud quo dictum est, *non occides*, in multis casibus recipit exceptiones, quo ad verba literæ, quia malefactores insanabiles sunt occidendi, præcepit namque DEVS, *vt malefici non permittantur viuere*. Sic etiam illud præceptū,
Exod. 22. 18. *Non furtum facies*, in necessitate videlicet, quādo homo fame esset moriturus, si non furaretur cibaria, quæ tūc alio modo habere nō posset, tunc vtiq; licitè furaretur. Nā in isto casu omnia essent cōmunia. Imò si in isto casu alimēta furari posset & nō faceret, sed fame moreretur, grauissimè in DEVM peccaret. In ista tamē obedientia est considerandū, quod intellectus nō subijcitur Superiori per obedientiā. Nec potest Superior præcipere & coercere, ad intelligendū hoc vel illud. Sic etiā interior voluntas soli DEO subest, & non subiacet Superiori per

ri per obediétiã cõpulsiuã, vt posset prçcipere & punire nominatim volũtaté, si nõ consétiret præcepto. Sed in omnibus quilibet tenetur obedire DEO, siue sint interiora siue exteriora: Prælatis autem in exterioribus factis & operibus quæ patent: Quia ibi possunt iudiciũ exercere, dãnãdo vel absoluendo, & testes ac alias probationes adducẽdo. Sed nõ sic in motibus interiorib⁹, qui nõ sic subijciũtur Superioribus. Tamẽ nihilomin⁹ possũt prçcipere & exhortari de interioribus actibus intellectus & volũtatis, sicut sunt credibilia, quæ Ecclesia interpretatur & præcipit, sic & sic credi, quãdo dubia in fide oriũtur. Et etiã præcipit diuinũ officiũ studiosè, scilicet exteri⁹ quo ad verba & deuotè quo ad mentẽ persolui. Scilicet, vt homo faciat diligẽtiã ad acquirendã deuotionẽ. Nõ tamẽ punit mẽtẽ per pœnas exteriores, si non est deuota, aut si intus non facit diligentiam, quia testes & probationes ibi habere non potest; ideò nec iudicium: sed solus DEVS est iudex interiorum

Ecclesia non iudicat de interiorib⁹, nisi in certis quibusdam casibus.

tali modo; quia ipſe videt, & eſt teſtis & iudex. Sed Eccleſia ſæpius nihilominus damnat actus interiores, & punit in generali, & certam pęnã infligit. Vt hæreticos excõmunicat, qui mente conſentiunt hæreſi. Similiter ſi quis de Ord. S. Bened. trãſiret ad curias principum, ea intentione, qua malum machinaretur, contra prælatos ſuos aut monaſterium, vt in Clementina prima de ſtatu monachorum: ſic etiam excõmunicat Eccleſia inquiſitores hæreticæ prauitatis, qui ex odio cõtra aliquem inquiſitionem faciunt. Et ſic patet quod Eccleſia iudicat & dãnat per excommunicationem actum occultiſſimũ ſcilicet intentionem cordis, quamuis nulli appareat foris. Vnde ſi duo inquirerent contra aliquem de hæreſi, vnus ex odio, alius ex caritate: Et exterius non appareret intentio: Tamẽ adhuc primus eſt excommunicatus: Secũdus non. Et tamen nihilominus verum eſt quod Eccleſia non iudicat de occultis, quia tales non nominat, nec nominatim exprimit, neque excludit

Hæc in Clemẽtina prima, de hæreticis habentur.

Quo pacto Eccleſia de occultis iudicet.

cludit eos nominatim à cõmunione fidelium: Nec priuat beneficijs: Nec alias pœnas contra eorum personas vel res intentat: Quia factum eorum est intus in corde: scilicet in intentione & latet, & probationes ibi habere non potest, licet verè sint excommunicati prædicti: & inobedientes coram DEO. Et sic patet quomodo actus voluntatis & rationis sub præcepto cadit: & ipsa voluntas subijcitur præceptis in actibus suis, & punitur per excommunicationem, si non obedit in certis casibus: scilicet propter consẽsum perfidię & hæresis, & propter malam intentionẽ etiã exterius tamen non apparentem: Et tamen in his pœnis non facit nominatim executionem: Quia ignorat in speciali, nec habet probationes. Sic etiam Prælatus in Religione determinare dubia potest in Regula, & alia quæ ad Regularem pertinent vitam: Et obligare aliorum voluntates ad consentiendum in omnibus istis licitis & honestis, & requisitis ad vitam religiosam. Obedientia autem in Or-

Actus voluntatis quo pacto sub præcepto cadat.

in Ordine nostro Carth. licet sit restricta, quo ad Priores, qui non possunt limites Statutorum, & ordinationes Capituli excedere : Tamen hæc obedientia est valdè lata, & generalis quo ad Capitulum generale, & Prioré Carthusiæ, qui possunt super Statuta pręcipere. Imò ex statutis habent potestatem. Et sic monachum de vna domo ad aliam, de vno officio possunt ad aliud ponere : & generaliter præcipere quæ secũdum caritatem fieri possunt, pro conseruatione Religiosæ vitæ. Et in hac generali obedientia & lata consistit perfectio magna Ordinis Cartusiensis. Quãtò enim obediẽtia est maior, generalior, & ad plura se extẽdit, tãtò est melior, religiosior ac perfectior. Quia in generali obediẽtia est perfecta oblatio propriæ voluntatis. Et sic ex prædictis patet quomodo professio sit intelligẽda, quando promittimus stabilitaté, conuersioné morum, & obediẽtiam. Et quomodo ad stabilitaté per virtutes & opera bona, duce gratia DEI, perueniatur : Et quomodo

Encomiũ obediẽtiæ.

do tūc oēs cogitationes, loquutiones & operationes ad hæc ordinari debent: & ad ſtabilitatē ac puritatē quę eſt in ſtabilitate dirigit, vt perueniatur ad caritatē. Et fieri debet Cōuerſio morum in melius: Et illa debet in ratione præuideri, voluntate amplexari, opere impleri: Vt de virtute in virtutem fiat quotidiè tranſitus: Et omnia impedimenta virtutum ac operum bonorum tollantur; & mēs ad perſeuerantiam ſtabiliatur, vt aduerſis non frangatur. Et ad hæc valent bona exempla prælatorum & aliorum monachorum, vt nouitios, & nouiter conuerſos religiosè præcedant, in vita ſpirituali, in maturitate morū, in diuino officio perſoluendo, in obſeruantia Regulari, & in cæteris ad eorū ſtatum requiſitis: vt ſint ſine reprehenſione. Valent etiam ad hoc doctrinę & exhortationes Prælatorum, & rigor diſciplinę, &c. Hæc namque omnia habent vim merendi ex obedientia, quando ex vera & caritatiua obedientia implentur. Quæ debet eſſe pura, non

Exempla bona Prælatorū ad quid valeant.

requirens temporale commodum, ſed æternum. Nec debet habere aliquid de ſuo, nec requirere debet aliquid extra DEVM, ſed potius debet obedire in omnibus licitis, & honeſtis ad Religioſam vitam requiſitis, & non faciliter iudicare de præceptis Superiorum.

CAPVT XV.

CAEterum huic quoque obediētiæ voto includitur quodāmodo votum paupertatis, & continentiæ, quę ſunt de eſſentia Religionis cuiuslibet: Quia hæc tria, *Paupertas, Continentia,* & *Obediētia,* quando ſunt in voto, tunc conſtituūt Religioſum. Ideò ſic diffinitur Religioſus. Eſt perſona obligata ad paupertatem, continentiam & obedientiam, ex voto ſeu profeſſione. Et includuntur in obedientia tanquam in Superiori & perfectiori: Quia obediētia eſt perfectior votis omnibus. Et qui verè & perfectè in omnibus obedit, ille nec carnem nec exteriora habere in poteſtate poteſt. Et requiri-

Definitio Religioſi.

quiritur talis paupertas, vt nihil omninò habeat, nec possideat tanquam proprium, nec pennas, nec stylũ aut graphium, papyrum, vel aliud quodcunque minimum. Etsi aliquid haberet, quod libenter vellet defendere tanquam proprium, seu etiam vsum certum aliquarum rerũ, ad vitã suã habere, seu aliquid occultare tanquã proprium, tunc mortale peccatum esset. Vnde nec Papa dispensare posset, quod aliquis esset Monachus, & proprium haberet: quia hoc implicaret contra dictionem; scilicet vt esset res, & careret essentialibus. Sed hoc nec DEVS facere posset, quia fieri non potest, (vnde facere DEVS non potest vt triangulus sit, & non habeat tres angulos) potest namque triangulum totaliter destruere, sed non potest facere vt sit, & nõ habeat tres angulos. Sic nec Papa, vt sit Monachus aliquis, & habeat proprium, seu careat aliquo istorum trium requisitorum ad essentiam monachi. Posset autem ex causa rationabili de monacho facere non monachum. Vt

Papa non potest dispensare super Monachorum proprietate.

ſi rex aliquis ingreſſus eſſet religionem; Et eſſet quędam regina gentilis, quæ vellet conuerti toto cum populo ſuo, ſi monachum iſtum poſſet habere maritū. Quia in hoc caſu, ſecundum ſaniorē ſententiā Doctorū, vtilitas maior eſſet præponenda minori. Et eſſet per Papam meritoriè diſpenſandum. Si autem monachus poſſidet aliquid cum amore forti, (puta librum vel aliam rem) tamen vellet reſtituere vel exponere ſi exigeretur ab eo licet difficulter, & cum triſtitia, adhuc iſte non peccaret mortaliter, ſed venialiter. Et tantò illud peccatum veniale eſſet maius, quantò amor maior rei & difficultas reſignandi maior inueniretur: Et ſic talis ſaluus fieret, eò quod ſuper fundamentum caritatis in qua talis maneret ædificaret lignum, fœnum, aut ſtipulam; Lignum quod nō cito conſumitur igne, eſt magnus amor inordinatus, & tamen venialis, quia non contra caritatem: Ideò deletur etiam magna pœnitentia, vel dura pœna purgatorij. Fœnum quod

quod cito igne cõſumitur. Minor eſt amor. Sed ſtipula facilius conſumitur: ideò eſt amor modicus vel minimus. Et iſti in fundamento retinẽt caritatem, ideo ſalui fiunt. Sed quia ſuperædificant cupiditates, ideò igne purgandi ſunt. Et tantò fortius quantò cupiditas eſt maior. Libenter autem debemus nos totaliter nudare ab amore omnium creaturarũ, vt perfecti ſimus pauperes: Et non impediamur in feruore Caritatis: Et in actu contemplationis per amorẽ creaturarum, quæ mẽtem faciunt inſtabilem, & minuunt Caritatis feruorẽ. Et ideo etiã debem⁹ eſſe prompti ad communicandũ alijs ea omnia quæ ſcribim⁹, & in cellis noſtris habem⁹: & libros quibus quotidie nos vtimur, facere debemus communes, & non iuxta propriam affectionẽ, & voluntatẽ colligere aut ſcribere, ſed ſecundum iudicium & directionem Superiorum, q̧ de vtilib⁹ libris & ꝑſonis religioſis ſeruiẽtib⁹, in Spiritalibus exercitijs prouidere poſsũt & debẽt, iuxta Statuta noſtra, prout iſte

dus seruatur in domo nostra prope Isenacum. Continentiam verò seruare debemus non tantum in carne, sed etiam in corde; cogitationes illicitas excludendo, & in omnibus sensibus nostris, verbis & factis, vt non sequamur cupiditaté cordis aut carnis, sed in omnibus casti simus, & non dominetur nobis carnalis delectatio.

CAPVT XVI.

An Cartusianorũ Statuta queant appellari Regulæ.

VT auté tuis petitionibus plenius satisfaciam, nunc descédam ad Regulam nostram, id est Statuta, quæ à Papa dicuntur Regulæ; sicut etiam verè Regulæ sunt, eò quod modum seu Regulam viuédi nobis præbent, sicut Regulæ aliarum Religionum suos professores docent, quomodo viuere debeant, secundum traditam eis Regulam. Hæ auté regulæ prçsupponunt DEI prçcepta, & prçcepta caritatis, ex quibus omnia præcepta descendunt tanquã ex primis principijs. Sic decem præcepta tanquam conclusiones oriuntur

tur ex præceptis charitatis, ſcilicet DEI & proximi. Et vt iſta præcepta caritatis in quibus pendent lex & Prophetæ,& vniuerſæ ſcripturæ, & omnia præcepta quæ eſt finis omnis pręcepti, diligãtur, cuſtodiantur tanquam principaliora,& tanquã cauſſa, in quibus noſtra conſiſtit ſpiritualis,& vera vita ac perfectio. Inuenta ſunt alia præcepta DEI quæ ad iſta dirigunt,& impedimenta tollunt,quæ volunt, vt in DEVM credatur,& in honore ac reuerentia habeatur, & ei ſeruiatur, hoc enim caritas DEI requirit: Sic etiam præcepta prohibent omnes offenſas proximorum, ſcilicet ne fiant in perſonis proprijs proximorum, neque in eorum rebus, neque in fama,neque in perſonis eis coniunctis: Sed potius vt honoremus parentes, & alios nobis coniunctos: & ex caritate eis ſeruiamus. Sic & conſilia ad hoc ordinantur,quia tollũt impedimenta caritatis. Sic & Regulæ religioſorum, ad hoc ordinantur, ſcilicet præcepta caritatis, quam præſupponunt: Et ex

ea suas Regulas institutores Religionũ sumpserũt, & ad præcepta caritatis ordinauerũt: Et ideò primò ordinant suos professores, ad cultũ DEI, quẽ requirit amor DEI: vt ei in toto corde, & ex totis viribus diligenter seruiatur. Sic S. Benedictus ordinat diuinũ officium in Regula sua quomodo debeat persolui: A cuius ordinatione nostra Statuta de diuino officio persoluẽdo, in psalmodia horarũ Canonicarũ formã acceperũt. Sic & S. Aug. in regula sua: similiter & S. Franciscus modũ persoluẽdi diuinũ officium circa principiũ Regulæ suæ ponit. Et nostra statuta à diuino officio à prima parte quã Ordinariũ vocam⁹, cũ suis ordinationibus tanquã à principaliore & tanquã ab his quæ ad caritatẽ DEI pertinẽt, immediatè curã sollicitã gerũt: Quomodo libri debeãt esse correcti, quib⁹ cũ diuinũ persoluitur officium, ne fiat error: Et persequitur diuinũ officiũ per totũ annũ: Quid quolibet tẽpore, & quolibet festo sit persoluendũ. Et si hæc benè considerantur; & ad statũ & or-

dinationē vniuersalis Ecclesiæ cōparātur, tūc sēper inueniūtur ea in Statutis nostris quę principaliter Ecclesia habet vniuersalis. Hoc patet in Epist. & Euāgel. Dominic. & Sāctorū. Et de officio Missæ: Introitu, Graduali, Offertorio, præfationib⁹, & cæteris, quæ ad missas pertinent, tā in Canone quā extra. Et hæc videre potest quilibet, ex Rationali diuinorū, & ex decretis Summorum Pōtificum, quia in essentialibus sēper concordat Ordo Carth. (aliqua tamē variantur in crucibus, in Canone & etiam in quibusdā orationibus iuxta finē: quæ de essentia nō sunt Canonis. Sed & etiā in varijs Diœcesibus fit in istis accidentalibus, quæ non sunt de essentia variationis. Sic etiā q nō leuatur Calix in Ordine nostro, quādo in domibus Ordinis celebratur, nō impedit, quia nō est de essentia celebrationis Missæ, calicē altè leuare. Leuatur autē modicè post cōsecrationē. Et etiā quādo in Ecclesijs Secularium personæ Ord. celebrant. Tunc *confiteor* dicunt more secularium, in cęremonijs *Cartusiani in Ecclesijs secularium celebrantes, accommodant se illis.*

leuant

leuant altius calicem, & finalem largiuntur benedictionem, nè aliquem scandalizent. Et habent libros correctos, in persolutione diuini officij. Et concordant prædicto modo cum Ecclesia vniuersali in essentialibus. Et etiã in collectis ab Ecclesia inuẽtis & statutis: quas etiam non licet inferiores in officio Missæ mutare. Sed in persolutione horarum Canonicarum Ecclesia vniuersalis nõ statuit modum certum obseruandum, sed quælibet diæcesis habet suũ quodammodo modũ. Et ideo Ordo noster volens alios religiosos in hoc sequi, elegit modum positum in Regula S. Benedicti, quoad psalmos & numerum psalmorum, vt communiter. Quia cõmisit lectiones arbitrio prælatorum, idque ideo ne liceat sẽtire cuilibet sicuti vult. Insuper & Ordo Carthus. ex Biblijs & dictis Sanctorum Doctorum posuit lectiones certas, quas per totum ordinem vniformiter legunt: Sicut & B. Benedictus in Regula sua scripsit de scripturis autenticis, lectiones accipiendas:

das: & professi literati huius Sacri Ord. in diuinis laudibus continuò occupentur, & ad contemplationem diuinorum instruantur. Porro etiam consuetudo est apud nos Carthus. vt tota Biblia integrè per circulum anni legamus, nempe libros Moysis & Prophetas, libros Regum, Salomonis & Sapientiales, secundum Ecclesiæ institutionem sub Gelasio Papa in concilio generali Romæ celebrato. Et cæteros libros ac historias taliter imponūt sicut Ecclesia instituit ibidem. Et non partim sed ex toto legimus Biblia partim in Choro, partim in refectorio &c. Quosdam etiā libros, ex toto in choro, vt Isaiam & Epistolas Pauli: quosdam verò totaliter in refectorio, vt Esdram & Paralipomenon. Quosdam in colloquio totaliter, vt Euangelia: Exceptis passionibus, quæ leguntur in choro temporibus ab Ecclesia statutis. Sed & tres dies ante festum Paschæ cum lectionibus de tractatu B. Aug. super Psalmum. *Exaudi DEVS orationem meam cum deprecor* peragunt:

Biblia quolibet anno semel absoluenda Carth.

Psal. 63.

nec non

nec non & nouē lectiones istis tribus diebus, sicut Ecclesia statuit in dicto Concilio Generali sub Gelasio Papa. Et habetur in lib. Isidori, de numero. Et alia Statuta Ecclesiæ sanctæ, quæ recepta sunt, diligenter obseruat prædictus Ordo, tam in diuino officio quā extra, secundum exigentiam Statutorum. Et ideo etiā sæpius inferunt in suis statutis, & ordinationibus decreta Conciliorū & Papæ. Vt patet in antiquis Statutis parte secunda Capitulo quinto de electione Priorum. Et in ordinationibus Capituli generalis, in quibus præauisant vniuersos Priores, & alios monachos de statutis Ecclesiæ. Et quando sūt pœnalia, tunc inferunt ordinationib⁹ suis, & suis subditis nūciant vt pœnas euadant. Vt est statutum generalis Cōcilij Viennēsis quod in Clementina prima ponitur *de reb⁹ Ecclesiæ nō alienatis*, vbi Prælatis Religiosorum, sub pœna suspēsionis latæ sententiæ prohibetur, ne alienēt bona immobilia monasteriorū & administrationū suarū &c. Et ne se excusēt aliqui per igno-

Bona Ecclesiæ alienare non licet.

ignorantiã,tunc in quadã ordinatione generalis Capituli nuntiatum est hoc ſtatutum per tot. Ord.Similiter Decretalis Vrbani, *ne in vinea*, quæ præcipit,vt cũ omni puritate recipiãtur perſonæ ad religionẽ, & excommunicat oẽs perſonas quę exigũt aliquid,vel petũt directè aut indirectè. Ad quemcunq; etiam pium vſum ab ingredientibus;religiones eorũ: Similiter & in quadã ordinatione acceptat & laudat omnia decreta Baſilieſ.Concilij,& alia quæ S.Mater Ecclesia ſtatuit. Cui oportet omnẽ hominẽ obedire fideliter. Et ſic diligẽter inſpiciũtur Decreta Conciliorũ & Summorũ Pontificũ,quæ non ſunt reuocata,& quæ in diſſuetudinẽ non abierãt,& contra quæ nõ eſt præſcriptũ,ſed quæ recepta ſunt ab Eccleſia, tunc non inuenietur trãſgreſſio Statutorum Eccleſiæ in Ord.Carth. per eorum Statuta, vel conſuetudines aut ordinationes: Quia non contrariantur Statutis Eccleſiæ neque Sanctorum Patrum, ſed potius concordant, vt patet cuilibet diligenter

inſpi-

inſpicienti in omnibus & ſingulis: Quod valde prolixum & laborioſũ eſſet hic per ſingula inſerere. Sed hoc notandum eſt, quod ſicut habetur *in Decretis quarta diſtinctione*, Capitulo *leges:* Tunc leges inſtituuntur, cum promulgantur: confirmantur, cum moribus vtentium approbantur. Et ideo leges & Decreta quæ moribus vtentium non ſunt confirmata, abrogata dicuntur, & non obligant in foro conſcientiæ. Sic enim multa antiqua Decreta legũtur, quæ per diſſuetudinem abrogata ſunt; Et niſi hoc verum eſſet, Statuta Eccleſiæ eſſent in laqueum & ruinam, non tantum ſimplicibus, ſed etiam ſapientibus & doctiſſimis viris. Si enim obligarent omnia Decreta, & ſi omnes trãſgreſſores eſſent rei, tunc vtiq; multi eſſent in grauibus peccatis: & Eccleſia iſto modo non eſſet eis cauſa ſalutis ſed perditionis. Hoc tamen de iſtis Statutis humanis eſt intelligendum, contra quæ præſcriptio poteſt currere: Et quæ etiam ſunt de iure poſitiuo & non Diuino: Nec de ſua natura

tura eorum transgressiones nutriunt peccata : Et ideò bonus Iurista qui vult iudicare de peccatis quoad trãsgressores Canonum,debet cautè respicere omnes ac singulas circumstãtias,quales sint Canones , an de iure naturali , an diuino: contra quæ iura non cadit præscriptio: An sint de iure purè positiuo : Et an contineant præcepta per verba pręcepti & mandati : Et an talis est materia quæ sub præcepto cadit : Et an Canones recepti sint, & moribus vtentium approbati & publicati , & an nutriunt caritatem & pacem . Quia transgressio illorum non est absque peccato . Secus quando non sunt approbati nec recepti : Et quando præceptum non continent , sed consilium vel exhortationes: Aut simplex Statutum, cuius transgressio ad mortale nõ obligat peccatum,& quandoque subditi videntes non congruere moribus suis ius nouum quod est pure positiuum, sæpius putant sibi licere oppositum facere : Et quandoque non recipiunt , non quidem proteruè abijciendo,

ciendo, sed sperando quod superior non velit eorum consuetudines oppositas rationales tollere, vti etiam apertè dicit, primo capite *de constitutionibus* libro sexto, sic etiam quãdo seruare ceperunt Statutũ,& consuetudo in oppositum non est,tunc si vident quod impediat caritatem,aut generet maiorem difficultatem, quã vtilitatem,tunc sperare debent, imò scire quod superior habuit aut habere debuit intentionẽ vt prodesset per statuta sua,& vt pacem & caritatem nutriret: Et quãdo oppositum venit, tũc præsumere habet,quod Superior eos non velit arctare ad hæc. Et ideò bona ista fide præscribere possunt rationabiliter contra Canones. Ad hanc præscriptionem & consuetudinem rationabilem inducendam, tacitus consensus accedit. Sicut etiã in præscriptione priuatarum rerum quæ bona fide præscribuntur,tacitus cõsensus illius cõtra quẽ præscribitur, accedere dicitur. Quia & sic ius statuit,vt qui tã diu tacet quod finita est præscriptio,consensisse dicatur.

CAPVT XVII.

DIuinum autē officium, quod in Ord. Carth. cautissimè & sapientissimè est ordinatū secūdū statuta Venerabilis Ecclesiæ & Regulas, ac Sāctorum Patrū scripta, studiosissime ab eisdē Cartusiēsibus est persoluendum. Vnde in secunda parte consuetudinum antiquarum, capitulo 39. est statutum, vt persoluatur diuinum officium secundū doctrinā S. Bern. super Cātica, vt nihil præponatur Diuino officio, sicut labores & aliæ occupationes, isto tēpore quo Diuinū est persoluēdū, officiū intermittantur, nisi forte essēt ardua negotia, & talia q̄ dilationē nō recipent. Tūc etenim secundū eundē Bern. Missa & aliæ deuotiones ad tēpus essent intermittenda, vt est causa maximæ infirmitatis: Si aliquē oporteret occupari necessariò circa infirmū. Similiter causa pacis, vt discordia vitetur, vel aliç causç magnç corporales aut spirituales, quæ dilationē non reciperent, & periculum esset in mora. Vt si fortè causæ essent *Quale sit diuinum officium apud Carth.*

tūc tractādæ;quæ si dimitterētur:tēporalia caderent, & Serui DEI non haberēt vnde se ad seruiendum DEO nutrirent. Hæc tamen ab Officialib', videlicet à Priore & Procuratore, & non à toto Conuentu in casibus necessitatis sunt tractanda. Nihil vnquam itaque Diuino officio est præponēdum in effectu: Quia laus DEI ex caritate DEI procedens, excellit alia opera. Nihil etiam in affectu est præponendum Diuino officio: nisi in casibus necessitatis: quia tunc diuina laus in affectu semper manens pretiosior, & melior, cui etiam in affectu nihil præponitur; quia nihil plus amatur. In effectu quandoq; ex necessaria causa ei aliquid præponitur ad tempus, & propter hoc horæ Canonicę quandoque differuntur, & celebrationes Missarum quandoque intermittuntur. His diuinis officijs interesse tenentur Carth. ex eorū Satutis strenuè & purè. Strenuè vt persoluant reuerenter & alacriter. Vt honestè se habeant & reuerenter in diuino officio stando, inclinādo, seden-

ſedendo,& alias ceremonias facien-
do,& verba Spiritus ſancti alacriter, *B. Bern.*
ſine ſomnolentia,& pigritia, virili *Serm. 47.*
voce, integrè: Non parcentes vo- *ſuper Cāt.*
cibus neq; cordibus perſoluant pu-
rè;vt illud quod ſonat in ore, hoc et-
iam ſit in corde,vt non cogitent alia,
quàm quæ pſallunt.Et nō ſolum pro-
hibentur inutiles & vanæ ac malæ
cogitationes,ſed etiam ſalubres & v-
tiles,quas Spiritus Sanctus illa hora
non acceptat:Sed verba cordis,id eſt
deſideria & cogitationes debēt cum
verbis oris concordare: Quia *Spiri-
tus Sanctus gratum non recipit illa ho-
ra quicquam aliud,quam debes,negle-
cto eo, quod debes,obtuleris*. Et ideò
cor cum voce cōcordare debet. Hæc
etiam Aug. in Regula ſua ponit. Et
habent ceremonias debitas in perſo-
lutione diuini officij iuxta Statuta
antiquorum Patrum,vt genua nō fle-
ctant generaliter à feſto Paſchæ vſ-
que ad Pentecoſten: Et vt reuerenter
in Eccleſia ſe habeant,viſum & alios
ſenſus honeſtè cuſtodiāt & religio-
sè:Poſt cantorem ſimul incipiant,ſi-
E mul di-

mul dimittant : Nemo vltra alium caudam teneat ; Reuerenter inclinent *ad Gloria Patri*, & post Eleuationem Sacramenti Eucharistiæ se humiliter prosternant ; exemplo Christi, qui ter cecidit in faciem & orauit Patrem;& exemplo antiquorum Patrum qui se coram DEO humiliando in facies ceciderunt, & se cinerem ac puluerem, atque nihil in conspectu tantæ maiestatis immensæ reputauerunt. Sic & Carthusiani faciunt, quando aliquid deuotius orare volunt. Ideò sic se prosternunt post eleuationem sacræ hostiæ:Et tempore quo communicat Sacerdos,qui in Conuentu celebrat, & etiam in cellis. Et quando pœnitentias in Ecclesia persoluunt, tunc vt deuotius persoluant, prostrati hoc faciunt. Quando magna & solemnia cantica concinunt, tunc capita nudant, & extra sedes reuerenter stant, vt maiorem DEO reuerentiam exhibeant in maioribus canticis, & vt se ad maiorem deuotionem excitent : Sic

Vide Pet. Sutor lib. 2. de vita Cartus. Tract. 4. cap. 4.

nudant

nudant capita, & extra ſedes ſtant cantantes *Kyrieeleyſon* : *Gloria in Excelſis* : *Magnificat* : *Benedictus*, *Symbolum* in Miſſa & etiam in *Prima* : Quando *Sanctus*, aut *Gloria Patri* dicunt, tunc ſe ad tantam maieſtatem inclinant humiliter, ſignificantes in ſua inclinatione, quod omnis creatura inclinat in conſpectu tantæ maieſtatis. Similiter quando nomen IESVS aut Mariæ nominatur, tunc modicè ac reuerenter inclinant capita ſua, ſicut de nomine IESV in Concilio Lugdunenſi Eccleſia ſtatuit, & taliter ſe mutuo habent in diuino officio cõcorditer perſoluẽdo: vt perturbationes & indeuotiones ſumma diligẽtia caueantur. Et vt omnia ritè & ordinatè fiant, ſingulorum officia ſunt deſcripta, vt quilibet ſuum reſpiciat officium, erroreſque & turbationes caueat, ſed omnia in caritate & pace diſponat : Vnde & emendator poſitus eſt, qui emendare debet cum magna manſuetudine errantes ſine turbatione. Similiter & Cantor debet reſpicere vt

omnia fiant ordinatè, cum paucis debitis. Et vt secundum varietatem tẽporum & festorum nunc altius, nunc submissius cantum & psalmodiam inchoet. Sic & singuli lectores suas habent lectiones præuidere. Subdiaconus Epistolam, & Diaconus Euangelium: Et quando non adest simplex Subdiaconus, tunc nè Procurator ex cura exteriorum negligens ex toto fiat, iniunctum est sibi officium legẽdi Epistolam loco Subdiaconi. Diaconi autem officium describitur cum stola sicut in iure habetur. Similiter officium Sacerdotis in celebrãdo. Et seruantur Canones Sãctorum, & superadduntur honestissimæ ceremoniæ, quæ omnes rationibus innituntur, quas prolixum esset hic inserere, aut commemorando referre. Et quanquam fiunt reprehensiones in his ab ignaris: Sicut est id quod in Statutis scribitur, de procuratore, quod in necessitate potest infirmum communicare, & Eucharistiam dare, etiamsi Procurator adhuc est Diaconus & nondum Sacerdos: Quia hoc

expressè habetur in decreto Gelasij Papæ, & ponitur in Decretis in cap. 10. *Diacones* 93. distinctione. Et S. Thomas idem tenet in tertia parte summæ, & cæteri intelligentes Doctores.

CAPVT XVIII.

VT autem hoc diuinum officium debitè persoluatur cum deuotione, vt DEO placeat, tunc institutũ est in Statutis eorũ, vt Cõfessiones faciant generales quando primò Ordinem ingrediuntur, & quoties Prior mutatur, hoc idem omnibus consulitur, vt sic Prior sciat vultum pecoris sui, & norit quomodo cuilibet prouidere in Christi caritate debeat. Et hęc iteratio Confessionis, licet non sit necessaria, nec in præcepto ab eis ponitur, valdè tamen est vtilis secundum Doctores. *Confeßio generalis ad quid profit.* *Primò* ad maiorem gratiam consequendam & promerendam. *Secundò* 1 ad satisfaciendum pro peccatis, quia 2o. erubescentia in Confessione est pœnalis, & ideò est pars satisfactionis,

& toties posset homo confiteri quod satisfactionem impleret per solas confessiones. *Tertiò* videlicet, ad
3. maiorem securitatem. Quia nescit homo an prius plenè fecit, & an debitè contritus sit, & an integrè, purè, humiliter, & verè cõfess' sit. *Quartò*
4. valet, ad maiorẽ humiliationẽ, quia in Cõfessionis iteratione humiliatur homo, & sic disponitur ad maiorem gratiã, & caritatem ac cordis puritatem, deuotionem & contemplationẽ ac alia spiritualia exercitia. Et quia humana vita non peragitur sine quotidianis peccatis; eò quod caro cõtinuè cõcupiscit aduersus spiritũ: Ideò Statutũ habent, vt omni Sabbatho in hebdomade generales faciãt cõfessiones, de negligẽtijs & cõmissis peccatis in hebdomade ista. Et si in Sabbatho festũ occurrit, tũc alio die eiusdẽ hebdomadæ istæ cõfessiones fiũt. Et quia Sacramentum Eucharistię requirit maximam deuotionem. Ideo statutum est in Ord. præfato, ꝙ celebrare volẽtes prius cõfiteantur. Et ideò modus & cõsuetudo confitendi inoleuit: Vt quia omni die commu-

niter celebrãt. etiã quotidie ante celebrationẽ cõfessionẽ faciãt, & se excitẽt ad deuotionẽ, vti digni fiant ad celebrationẽ vel cõmunionem tanti Sacramẽti. Hę autẽ Cõfessiones prę-requirunt discussionẽ conscientię & contritionẽ, vt sic continuè videant in quibus deficiãt neglıgẽdo aut cõcupiscẽdo, verbis aut factis, quod ista emẽdẽt, vt sic puro corde Diuina officia celebrare valeãt digne vt DEO placeãt. Et quia maximũ quod DEO exhibemus, est laus eius (per laudem nãq; assimilamur Ecclesiæ triũphãti, quæ continuè DEVM sine cessatione laudat alacriter reuerẽter & deuotè) ideo hunc actum & officiũ laudandi DEVM diligẽtissimè exhibere & implere debemus, vt omnia impedimẽta tollamus, cordaq́; nostra purificemus, carnẽ restringamus; & carnalia desideria abijciam⁹, per quæ impedimur in diuino officio: Hæc impedimẽta diligẽter in Ord. Carth. cauentur. Et fit ista laus publicè & priuatim. Publicè in Missis & horis Canonicis, quæ persoluuntur in Ec-

clesia licet non semper omnes. Nunquam enim persoluunt simul omnes communiter in Ecclesia Completorium: Sed alias horas canonicas in festis in Ecclesia persoluunt; In feriatis dieb. Matutinas persoluūt in Ecclesia Missam & Vesperas, cū officio defunctorū: Cæteras horas cum horis B. Mariæ cōmuniter persoluunt in cellis priuatim, & ibidē etiam habent tempora deputata ad spiritualia exercitia: Sicut tempus post Vesperas, & in nocte quando persoluerunt Matutinas B. Mariæ Virginis: Habent vigilias quę longiores sunt in hyeme quā in æstate: Quia ibi quenque vltra vnam durant horam. Hæ vigiliæ deputatæ sunt ad Sacras meditationes, ad contemplationes cœlestes: Ad ruminandum suauiter psalmos in secreto: Ex hac contemplatione feruor caritatis crescit; Mundus cum sua cōcupiscentia vilescit: Et homo renouatur intus: & DEI efficitur amicus: Secreta ei' intuetur: A DEO de multis docetur; & virtutibus ac charismatibus spiritualibus repletur.

CA-

CAPVT XIX.

PORrò ad hanc Contemplationē & vitam contemplatiuam, per quam tenditur ad contemplationem, Sacra Religio Carth. ordinatur, & ad est hoc instituta: Sicut & Sūmi Pontifices in multis epistolis ad eosdem missis scribunt: Quomodo scilicet ipsi elegerunt partem Mariæ Magdalenæ, & conuersationē in cœlis statuerunt: Verbum Domini in otio sancto audientes, & ad pedes IESV humiliter sedentes. Similiter & S. Bernhardus dicit, quod in Ord. Carth. vita contemplatiua meliori & discretiori modo est reinuenta: quam fuit in antiquis Patribus. Quia non solum inhærent solitariẹ vitẹ & contemplatiuæ, sed etiam actiuæ. Vt sic euadant omnia pericula quæ Solitarijs euenire consueuerunt: Et nihilominus apicem contemplationis in diuino auxilio apprehendant. Et in eorum Statutis hæc habentur: Scilicet de Solitudine & eius commendatione, & quomodo deseruiat con-

templationi, compūctioni, orationi, & alijs Spiritalibus exercitijs, ad quę specialia instituerunt tempora, quibus se exercitare habent in istis exercitijs. Et ad istum finem ordinãtur omnia exercitia Ord. tam corporalia quam spiritualia, vt ad hanc vitã cõtemplatiuã quæ optima est pars, quã elegit Maria, quę nõ auferetur ab ea. Sed hic inchoatur in præsenti vita misera, & perficitur in futura gloria. Hæc etenim vita dignior & melior est, testante Domino Christo, Maria optimam partem elegit: per hoc denotãs vitam contemplatiuam: Quia audiebat dulciter & quietè verbum Christi & contemplatione suauissima quieuit in dulcedine verborum eius. Hæc etiam vita conuenit homini secũdũ quod est homo. Quia secũdũ rationem, à qua nominatur homo rationalis est melior quã actiua: Hæc etiã magis potest esse continua quam actiua; licet non in sũmo gradu: Hæc etiã vita magis concordat cum vita Sanctorum in cęlo, q perpetuò inhęrent Diuinę contemplationi: Et plus

Dignitas vitæ contẽplatiuæ.

etiã conuenit: quia proprium est homini secundũ intellectũ viuere. Hæc etiã plus hominem DEO coniungit, & adhærere suauiter facit: Quin & minorib⁹ indiget, quia paucis est cõtenta: inhæretque nobiliori obiecto, quia ipsi sũmo enti q̃ est Deus glorios⁹: Et est magis durabilis, tã ratione obiecti incorruptibilis scilicet DEI, q̃ ratione incorruptibilis subiecti; quia rationalis anima est ꝑpetua. Et etiã ratione actus, quia actus veritatis & contẽplationis nõ habẽt ens contrariũ. Et inhæret maiori dulcedini, eò q̃ dulcedo eius est, secundũ rationẽ, & de optimo obiecto & sũmo delectabili, scilicet DEO. Insuper hæc vita etiã maioris est meriti, quia radix meriti est Charitas; sed vita cõtẽplatiua immediatè est circa Caritatẽ DEI quæ est potior, q̃ amor proximi circa q̃ est actiua vita. In casu tamen Actiua vita reponitur maioris meriti, vt quando ex magna caritate quis seruit vtilitatibus proximi: Et ad tẽpus propterea, recedit à contemplatione DEI. Sic B. Paulus Apostolus

optabat ex magna caritate esse ad tẽ-
Rom. 9. 3. pus anathema à Christo, id est, ad té-
pus voluit libenter separari à Christo propter salutem fratrum suorũ; quamuis maximè dilexit Christum, ex hoc namq; quod Deũ valdè dilexit, tunc honoré eius valde procurauit: & vt ad DEVM plures adduceret, ipse ad tempus libenter ab eo separari voluit, quod pro nulla re tamen mundi fecisset, nec elegisset, sed ex sola caritate qua proximo in DEO & propter DEVM placere & prodesse voluit. Hæc autem vita cótemplatiua mentem in superiora leuat, ad summam veritatem, vt ibi doceatur, verbum Domini sine strepitu verborum audit: DEO familiaris efficitur: A DEO in feruore caritatis accenditur, ita vt dicat: *Nonne cor*
Luc. 24. *nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via.* Hæc vita ducit animam in cellam vinariam, & ordinat in ea caritatem, & ditatur in ea Charismatibus multis: Nam Pater dat ei potentiam contra omnes tentationes. Filius dat ei veram & sapi-

dam ſcientiam, vt omnia ſciat & cognoſcat: Spiritus S. dat ei ardorem, vt ardeat in amore, & carnalia deſideria comburat.

CAPVT XX.

CAEterum ad hanc vitam Contemplatiuam nemo venit, niſi prius in vita actiua ſe exerceat. Qui igitur montem Cõtemplationis nititur aſcendere, neceſſe eſt, vt in campo actionis ſe prius exerceat. Sic Iacob poſt Lyam Rachelem accepit in vxorem. Lya lippa ſignificat actiuam vitã, quia eſt occupationibus plena: Quæ etiam eſt laborioſa, quia vita actiua in laboribus & operibus bonis conſiſtit. Et oportet, vt ibi in actiua vita ſe homo prius reformet, paſſiones animæ edomet, carnemque ſub ratione reſtringat, ne nimium cõtra ſpiritum inſurgat: Hæc autem reſtrictio fit per virtutes morales, ſcilicet per temperantiam quæ domat carnales delectationes: Et per fortitudinem quæ audaciam atque furorem, & irã & cæteras paſ-

siones irascibilis potentię restringit, Sicut temperãtia restringit passiones potentiæ concupiscibilis. Passiones namq; irascibilis & concupiscibilis impediunt animũ ne possit tendere ad veritatem contemplandam & amandam: Et ideò in Ord. Carth. hæ passiones restringuntur per religiosa exercitia corporalia & etiam spiritualia. Corporalia exercitia sunt quę corpus respiciunt, & corpore perficiuntur, vt est labor manualis: ideò instrumenta habent in cellis, per quę in opera huiusmodi manualia se extendant, secando, fodiẽdo, libros ligando, asseres dolando, & similia faciendo: Per quæ opera corporalia in deuotione & timore Dei ordinatè & discretè facta. Corpus à luxuria & multis prauis desiderijs & concupiscentijs restringitur, & animus à malis cogitationibus, quas in otio contraxit, liberatur. Per discretum etiam & moderatum laborem corporalem recreatur corpus, & à torpore accediæ & tœdij liberatur, & in sanitate conseruatur, & quia animæ

Corporalia Cartusianorum exercitia.

Eorum vtilitas.

sequun-

ſequuntur corpora;ideò etiã Anima in corpore benè recreato, & benè diſpoſito,melius exercet ſuas operationes. Si autem labor eſt exceſſiuus & nimius,aut indiſcretus,tũc ſæpius lædit corpus & animã,labor aũt moderatus & diſcretus,prodeſt corpori & animæ.Et antiqui Patres putabant aliquem non poſſe proficere,neq; in cella ſine corporali labore permanere:& in iſto moderato labore corporali & diſcreto debet anima deuota pſalmos aliquos mẽte pertractare & ruminare, vel alijs deuotis meditationibus occupari : Et ſi ex labore diſtrahitur, reſumere debet iterum atque iterum, & non ex toto dimittere, ſed conatum cõtinuum ad proficiendum in his facere: Indiſpoſitio autem & infirmitas atq; acedia corporis, multum impedit Contemplationem, niſi ex ſingulari gratia DEI ſuper naturam adiuuaretur. Labor namque eſt in Contemplatione, quæ licet ſit in anima principaliter, tamen corpore vtitur in ſuis actionibus, interim

quod

quod est in corpore tanquam forma substantialis. Abstinentia & ieiunia regularia, per quæ corpus restringitur, & à lasciuia domatur, multum iuuant ad Contemplationem, & ad aliarum virtutum acquisitioné: Nisi enim quis primo gulam vicerit, cætera vitia nequaquam poterit superare: Vnde antiqui Patres primum ante omnia dixerunt gulam esse domandam & euincendam. Quia Nabusardan Princeps coquorũ destruxit muros Ierusalem: Nam gula quæ principatur & imperat coquis, destruit omnes virtutes, quæ sunt tanquam muri animæ deuotæ, quæ dicitur Hierusalem; eo quod in ea debet esse visio pacis. Abstinentia itaq; discreta & moderata, & ieiunia regularia gulam tollunt, carnem macerãt, carnales delectationes & carnalia desideria restringunt: quia *luxuriat rarò, non bene pasta caro.* Et alia multa bona ex ieiunio veniunt: Vnde Ecclesia in præfatione ad DEVM cantat: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutes largiris et præ-*

4. Reg. 25. 10.

præmia per Christum Dominum nostrum. Quia vitia multa quę oriuntur ex gula, vt est acedia, lasciuia, luxuria & similia, compescuntur per ieiunium, mẽs eleuatur & purificatur, & ad contemplationem disponitur, eò quòd à carne lasciua non multum attrahitur. Est enim homo in horizonte duorum mundorum: & ideò quantum se abstrahit ab inferiori mundo, abstinendo à carnalibus quæ hic vigent; tantò ad superiorem mũdum in quo sunt intelligẽtiæ appropinquat, & eis in intelligendo conformatur: Et cæteræ virtutes in mente benè abstracta à carnalibus desiderijs & delectationibus infunduntur, quæ ad contemplationem disponunt, vt sic corpus in animæ seruitutem redigatur, & ei in omnibus obediat, & virtutum plenitudine, ad quã prædicto modo disponitur, repleatur. Hinc Ord. Carth. abstinet ab istis cibarijs, quæ præbent incentiua libidini, & ab ijs qui corpus lædunt; vt sunt carnes & cibaria grossa, quæ difficulter aut vix possunt digeri à

Vitia ex gula & econtra virtutes ex ieiunio.

quiesc-

Cibaria Cartusianorum.

à quiescentibus in solitudine. Sed requirunt motum & laborem fortem pro sui digestione: aliàs corporales infirmitates & alia nocumenta inferunt corpori humano. Sed vtuntur Patres huius Ordinis cibis facilioris digestionis, qui etiam conueniunt viris contemplatiuis. Et interiora & spiritualia membra in homine benè disponũt, bonum sanguinẽ generãt, & sanitatẽ hominis diu conseruant, vt sunt oua mollia, intestis, & alias, quæ inter omnia alia cibaria sũt magis cõueniẽtia viris spiritualib⁹, qui in otio sancto quiescunt ab exteriori graui labore. Sic etiam pulmentaria benè decocta, & secundũ modũ suũ conuenienter præparata eis apponũtur.

Cœnæ frugalitas.

Cœna etiam quia plurimũ nocet meditationibus nocturnis & contẽplationibus: ideò breuis & modica est apud eos cœna in æstate, quia tantummodo fructus ministrãtur, & ex gratia quandoque duo oua, vel aliquid simile. Sed ab exaltatione S. Crucis vsque ad festum Paschæ cœnam non faciunt nisi in diebus Capi-

tulari-

tularibus. Tunc namq; vtũtur fructibus in cœna in refectorio, etiã sextis ferijs, quando in ea occurrit festum Capituli : Sicut in festis Paschæ & Pentecostes ; & hoc non est contra Statuta & præcepta Ecclesiæ. Quia ieiunium sextæ feriæ non est de præcepto Ecclesiæ. Vnde & Cistercienses simili modo soluunt hoc ieiunium sextæ feriæ, propter festum Capituli ; quamuis hoc fortè in quibusdam monasterijs Cistertien. Ordinis hodie sit mutatum, & seruetur ieiunium sextę ferię, & hoc noster Ordo statuere potest quando sibi placet. Certum verò est secundum Innocentium quartum in glossa sua super decretale in ca. *consilium* de obseruatione ieiuniorum : Et secundum alios Doctores, quod ieiunium sextæ feriæ nõ est de præcepto Ecclesiæ. Sed Canones quæ de hoc ieiunio loquũtur, intelligũtur quod sit consilium. Nemo autem obligatur ad consilium necessariò implendum. Vigiliæ etiam nocturnales, quando homines quiescũt, & omnia *Vigiliæ nocturnæ*

tenent

iuuant ad cõtemplationem.

tenent silentium, multum iuuant ad contemplationem & meditationẽ. Ideò etiam tempora nocturna pro meditationibus & contemplationibus, & alijs deuotionibus spiritualibus sunt deputata, cũ certis vigilijs: Quia tunc viri spirituales in huiusmodi exercitijs extrinsecus minus impediuntur: Faciliter namque impeditur contemplatio per strepitus, & exteriores clamores. In isto etiam tempore digestio est celebrata, & corpus recens & leue, quia in cœna multis cibarijs non fuit grauatũ. Et tunc etiã Solitarij sunt in loco tenebroso, vbi non habent occupationes in rebus visis: ideo in silentio deuotè se possunt recolligere ab omnibus creaturis, & ascensus in mente de creaturis ad Creatorẽ facere, & pura mente ei deuotissimè inhærere.

CAPVT XXI.

AD hanc etiam Contemplationem multum valet corporalis solitudo: Sicut ipsi solitudinem habent, quilibet in sua cella sepa-

ſeparati ab alijs. Vnde Dominus per Oſee Prophetam dicit. *Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eiꝰ.* Oſee.2.14.
Nam ſolitudo corporis ſeparat hominem à populo & à turbationibus aliorum,& ex hoc venit etiam mens in ſolitudinem: In qua ſolitudine ſeparatur à vitijs,ab illicitis concupiſcentijs, & ab omnibus occupationibus in forti recollectione & feruenti deuotione. Et ſic ſurſum aſcendit ſine erubeſcentia,& ſine aliorum verecundia,quia neminem ibi conſpicit quem verecundetur. Sic elegerũt Sancti ſolitudines, quando aliqua voluerunt deuotius contemplari:Sic *Ierẽ.9.2.*
Ieremias quæſiuit in ſolitudine diuerſorium vt quieſceret, & peccata *Ezech. 3.*
populi deuotius deplangeret. Sic E- *22.*
zechiel ductus eſt in campum vbi ſolus erat,& viſiones DEI vidit: Sic
Moyſes aſcendit ſolus in mõtem, & *Exod. 17.*
ab alijs ſeparabatur, & cũ DEO colloquebatur, ſicut homo ad amicum
ſuum. Et etiã Iacob Patriarcha quan- *Geneſ. 32.*
do ſolus mãſit, vidit facie ad faciem *2.*
Dominum, & ſalua facta fuit in ſpe

anima

Gen. 28. 12. anima eius. Sicut & quãdo solus dormiuit, vidit scalã pertingentẽ summitate sua cœlum, & Dominum nimirũ sũmitati scalæ, & angelos descendentes & ascendentes. Et sancti Prophetæ quando secretius & deuotius voluerunt orare aut contẽplari, solitudinẽ quæsierunt. Vnde & Sanctissim⁹ Pater noster B. Ioãnes Baptista ab infantia solitudinẽ quæsiuit & amauit. Christus etiã solus in montẽ abijt post baptismũ & alias, vt oraret, & nobis exemplũ daret orãdi Patrem in abscondito. Sic & SS. Patres in Eremo, vt Paulus P. Eremita, Anthonius, Benedictus, Hilarion, Arsenius, Macharius, & cæteri innumerabiles in solitudine multũ profecerunt, & speciales amici Dei facti sunt. Et quia secundum doctrinã sanctorum Patrum inconsultum est, vt aliquis solitudinẽ petat, nisi prius in actiua vita, & in cõgregatione sancta probatus fuerit ac virtutib⁹ ornatus, & à passionibus vitiosis per studium actiuæ vitæ, quæ vitia purgat & eradicat (& sibi ipsi misericordiã primo

Luc. 6. 14

exhibeat, deinde proximo in operibus misericordiæ seruiat) fuerit exercitatus & probatus; ideo Carth. simul vtramque vitam scilicet actiuã & solitariam assumpserunt, quæ melior est quam actiua tantum vel contemplatiua tantum. Sicut B. August. in xix. lib. de Ciuitate Dei declarat. Et etiam exemplo Christi, Moysi, Heliæ, Helisæi & aliorum Sanctorum probatur. Qui nunc in monte soli orauerunt, & DEVM contemplati fuerunt, nunc ad populum descenderunt, & in actiua vita diligenter se exercuerunt, & sic vtramque vitam simul tenuerunt, nobisq́ue exemplum faciendi similia præbuerunt. Ideò & Carth. sunt soli in cellis, in nocte, ante ingressum chori, & in sacris Vigilijs spiritualibus exercitijs occupantur: Postea simul in Ecclesia conuenientes laudes deuotas Deo pariter persoluũt. Certis etiam diebus colloquia, & labores cõmunes habẽt. Sic etiã quãdoq; in Festis capitularibus, puta diebus Dominicis, in festiuitatibus B. Mariæ semper

ſemper Virg. Apoſtolorum & cæteris in refectorio ſimul comedunt: Et ſæpius ex varijs cauſſis neceſſarijs aut vtilibus conueniunt: Nunc duo, nunc tres vel quatuor aut plures, & mutuò ſibi in charitate miniſtrãt lauãdo, & alia opera miſericordiæ ſibi mutuò in varijs neceſſitatibus exhibendo: Et poſt iſta ad ſolitudinem cellæ veluti auis ad nidum ſuum, tãquam ad tutiſſimum habitaculũ reuertuntur. Ad ſolitudinẽ etiam pertinet abſtractio à populari Societate: Nam in ſtatutis ſuis habent, quod abſtrahere ſe debent à ſecularibus negotijs, à cauſis aliorum tractandis vel concordandis: ſciẽtes quod multæ diſtractiones, diſplicentiæ, atque diſcordiæ in his generantur. Sic etiã ſi cauſæ à Domino Apoſtolico committerentur alicui Carth. debet quãtum poteſt ſalua obedientia ſe opponere. Et ſi nomen Carth. in ipſis literis Apoſtolicis non fuerit expreſſum, non valent literæ, vti per priuilegium Papæ Ordini eſt conceſſum.

CAPVT XXII.

AD hanc proinde solitudinem pertinet, quod non debēt habere Carth. longa colloquia, cum secularibus præcipuè: Sed breuia & ædificatoria: quia in multiloquio non deerit peccatum. Debent etiam causas proprias amicabiliter sine litibus concordare inter se, & cum extraneis sine strepitu iudicij, quantum fieri potest, prout ordinatum est eis, per Capitulum Generale.

Prou. 10. *19.*

Pertinet etiam ad hanc omnimoda separatio à mulieribus, quæ sæpiˢ suis colloquijs mentes spiritualium alliciunt, & ad praua desideria pertrahunt, & ideò nequaquam terminos domorum nostrorū eas intrare permittimus. Nec fratres cum eis habitare in grangijs, imò nec pretium proprijs dare manibus, sed viro hoc ex mercenarijs debent committere, qui eis pretiū reddat. Vnde etiā omnino abstinemus à confessionibus mulierum audiendis, & à colloquijs

Mulierum fugiēdarū cautela.

quantum possumus: Scientes quod nec sapientissimus Salomon, neque Sanctissimus Dauid, neque fortissimus Samson, neque alij DEO placentes, potuerunt blanditias & fraudes euadere mulierum: Ideò cautissimè se ab ijs Cartus. separant. Et si quandoque priuilegia habent ipsæ reginæ vel principissæ, aut aliæ notabiles mulieres, fortè domorum Ordinis fundatrices, ad ingrediendum terminos nostros ex deuotione sua, quæ priuilegia à Domino Apostolico impetrant: Tamen nihilominus adhuc Carthus. se opponere debent, quantum possunt, & decet, salua obedientia supplicando, ne terminos eorum ingrediantur. Ad hanc etiam solitudinem, pertinent loca eorum in quibus monasteria & cellæ fundantur, quia debent esse separata à tumultu hominum, vbi non sint strepitus neque clamores, aut alia impedimenta plebis: Neque debent ibi attrahere Societates aliorum, vel mittere pro alijs vt se visitent, sed quantum in eis est

perso-

perseuerare in solitudine, vt de solitudine corporis, perueniãt ad solitudinẽ mẽtis, vt curas & solicitudines extraneas nequaquam admittant, sed mẽte pura & libera soli DEO intendãt. Nihil. n. prodest solitudo corporis, vbi nõ est solitudo mentis. Debet itaq; solitudo corporis seruire solitudini mẽtis, vt soli Deo intẽdat: & omniũ negotiorũ exteriorũ & curarũ obliuiscatur, & in DEVM transeat per Contemplationem puram. Et in hac solitudine corporis & mentis non habent Cartusiani timere secundum dictum Salomonis: *Væ homini soli, quoniã si ceciderit, non habet subleuantẽ*; quia hoc intelligendũ est de solitudine, quæ nõ admittit aliquem in caritate: Quia væ homini soli qui nullũ diligit nisi seipsũ tantũ. Carth. autẽ sic soli non sunt, imò pleni debent esse dilectione, & societatẽ ac caritatẽ cũ omnibus amicis DEI in corde habere, non. n. caritas impeditur per locorũ distãtiã. Et etiã vę homini soli qui totaliter separat⁹ est ab hominibus, quoniam non potest ha-

Eccl. 4. 10.

bere adiutorium in necessitate: & ideò periculosa est vita, quæ est omninò solitaria, nisi ex speciali gratia DEI adiuuetur. Sic autem non est vita Carth. quia non sunt totaliter & semper separati, sed aliquo modo, & certis horis. Et etiam certis horis in vnum conueniunt ad Diuinum officium, ad caritatiuum colloquium, ad laborandum & ad cætera pietatis & caritatis obsequia pro loco & tépore implenda; & sic patet quomodo solitudo corporis valet ad solitudinem mentis acquirendam, vt mens obliuiscatur omnium terrenarum occupationum, & purè & sincerè in feruore caritatis ad DEVM tendat, vt DEVS ad cor Cartusiensium, in solitudine virtuosa suauissima verba, in occulto loquatur.

Cartusiani non habēt vitam purè contemplatiuam.

Ad hanc etiam Contemplationē multum iuuat minoratio actuum siue actionum exteriorum, Quia vt Sapiens dicit: *Sapientia scribitur in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu percipit illam:* Ideò Carth. secūdum statuta sua minuere debent so-

Eccl. 38. 25.

lici-

licitudinem temporalium curarum & rerum, ideò præceptum est eis, vt non habeant possessiones extra terminos cuilibet domui Statutos, ne vagari & solicitari ad remota loca cogãtur; Et ne nimiæ diuitię quæ sũt tanquã spinæ, suffocẽt verbum DEI, quod intus suauiter in contemplatione auditur. Quare statutus est certus numerus animalium scilicet ouium &cæt. quem numerum nõ possunt sine speciali licentia, quæ sine rationabili causa non conceditur, excedere. Ideò etiam paruum numerum monachorum in suis monasterijs elegerunt, videlicet in qualibet domo duodecim monachos, & tertius decimus potest esse Prior, quia si istum numerum non possunt sustẽtare sine magna euagatione & solicitudine, licitum est eis habere minorem numerum, quem sustentare possunt. Cõuersos habent qui deputantur ad agriculturam, & nutriturã animalium, ex quibus communiter viuere debent. Quia ex omnibus rebus, ex quibus aliquid acquiritur, nihil

Hæc in nouis statutis aliter ordinata sũt.

hil sanctius, vtilius & honestius agricultura, & nutritura animalium; Quia ista DEVS dat, quę de his habētur. Et habent hoc in Statutis cap. 25. secundæ partis antiquarum Constitutionum, vbi subiungitur. *Sed & credimus quod mediocres facultates ex DEI adiutorio nobis sufficiant, si tamen humilitatis, sobrietatis, paupertatis in vestitu, victu, & cæteris ad vsum pertinentibus, iuxta propositi antiqui studium perseueret: Et si postremo mundi contemptus & DEI amor propter quem ferri & fieri omnia debent, profectũ in nobis indies accipiãt.* Ex his patet quod fugere debēt multas diuitias, quæ sæpius mētes etiam iustorũ subuertũt, & à bonitate deijciũt, atq; ad vana vitia perducunt. *Qui.n. volũt diuites fieri, incidũt in laqueum & retia diaboli*. Et in cantico Moysi in Deuterono. dicitur: *Incrassatus est dilectus* scil. ex diuitijs, *& recalcitrauit*, scilicet à DEO. Auaritia namque est idolorum seruitus, & cupiditas est radix omnium malorũ, & destruit spiritualia. Hoc attende-

1. Tim. 3. 7.

re

re debēt diligentissimè Carth. vt sint paucis contenti. Vnde grauiter peccarent qui cōtra tā saluberrima statuta facerent: qui etiā alios homines sua auaritia scandalizando, & seipsos in spiritualibus impediendo contra propositum Ord. Carth. taliter multa acquirere attētarēt. Et valde cauēdū est, ne Angelus Satanæ trāsfiguret se in angelū lucis, & solicitet viros spirituales ad tēporalia multiplicāda, vt impediat & cōfundat spiritualia. Et quia apertè ad vitia eos trahere non faciliter potest: Ideò sub specie boni nititur eos decipere, inspirādo eis vt habere debeāt sufficiētia, vt sint à posteris & suis superioribus laudandi, cum multa acquirant, vt sic etiam numerū monachorū in diuino officio augeāt & cultū diuinū, nō attendētes ꝙ melius est, paucos esse qui in pace & sāctitate sub obediētia statutorum DEO seruiant, & ad Contemplationem & alia spiritualia exercitia se extendant, quam multos qui nec vidētur habere rectorem neque Principem, cum tales Superio-

res ita absorbeantur curis temporalium rerum, vt quasi nihil de spiritualibus valeant cogitare. Istis igitur tentationibus fortissimè est resistendum, & cogitandum Statutum præsens superius allegatum, quod etiam cum diuina lege concordat, quia

1. Timot. 6. 8. Apostolus dicit: *Habentes victum & quibus tegamur, his contenti simus.* Et quando obtulerunt filij Israel ad fabricationem tabernaculi & vasorũ eius plus quam necesse fuit, clamatũ

Exod. 36. 6. fuit per præconem, vt cessarent ab oblationibus. Et in capite sexto de officio Prioris est statutũ, quod Prior debet monachis præbere exemplum stabilitatis & quietis, & cæterorum exercitiorum, quæ ad spiritualem pertinent vitam. Sed in his omnibus impeditur per euagationes, curas, nimiasque sollicitudines. Et in capite septimo secundæ partis antiquarum constitutionum dicitur, quod debeat singulis officia ita committere, ne prægrauatus cura secularium rerum, minus possit intẽdere spiritualibus: Volũt namque Statuta, quod debeat prin-

principalius intendere ſpiritualibus. Ideò etiam debet exhortationes & ſermones facere monachis in Capitulo, ſecundum qualitatem & neceſſitatem monachorum, & currentium tentationũ, & ſcire, quod quãdo primo quærit regnum DEI & iuſtitiam eius, quod omnia neceſſaria adijciantur ei ſine magna cura & ſolicitudine. Vnde & alibi ſcriptũ eſt. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono.* DEVS enim non derelinquit Sanctos ſeruos ſuos, qui in toto corde ſeruiunt ei. Plus namque debet Prior intendere ſpiritualibus quam temporalibus: Quia principaliter propter ſpiritualia aſſumptus eſt. Et ſi non poteſt ambo æqualiter reſpicere, ſed neceſſe eſt in vno defectũ aut negligentiã fieri potius, tunc potius permittat claudicare tẽporalia quam ſpiritualia. Spiritualia nãque ſunt meliora & nobiliora, vnde & præferenda temporalibus. Debet quoque præterea timorem & amorẽ DEI præ oculis habere, & vt ſtatuta ſuperius allegata dicunt, ſemper in

Mat. 6. 33.

Pſal 33. 11.

amore DEI proficere, vnà cum monachis ſuis, & in contemptu ſeculi, & rerum temporalium, vt ſola neceſſitate ſint contenti, vt ſic DEO placeant, & hominibus bona exempla præbeant, & ſuis exemplis ad contemptum ſeculi & amorẽ DEI eos trahant. Quia ex amore DEI hæc omnia facienda ſunt, vt Statutum illud intendit, quia in iſto amore omnia difficilia efficiuntur facilia. Si autem hæc & alia quę ad vitam Cartuſienſ. pertinent, non ſeruarentur, tunc mutuò ſe charitatiue reprehendere deberent, & ſe mutuò emẽdare, aut ſuperioribus nuntiare. Et ſi quis ex eis hoc ſciret, & non corrigeret, tam tacens quam faciens aut negligens, coràm diſtricto iudice rationem reddituri eſſent, qui de omnibus operibus nos iudicat. Et ſic qui amore DEI non trahitur ad bonum, ſaltem timore, pœnæ terreatur à malo. Sic B. Benedictus in regula ſua ſæpius dicit, quomodo Abbas reſpicere debet quod oportebit eum de omnibus reddere rationem ſũmo

Iudici. Valet itaque multum ad contemplationem diminutio curarũ & solicitudinẽ exteriorũ rerũ, & facit etiam ad perfectionem religionis. Quia vt dicit Henricus de Gandauo, *quantò cura est minor in temporalibus, tantò minus impedit spiritualia*. Et tãto etiã plus intẽdere potest spiritualibus, & in eis cõtinuè ꝓficere. Et venit sępius diuina ordinatione ꝙ quãdo volũt Religiosi vltra & cõtra Statuta Ord. multa acquirere, quod minus acquirant, quia DEVS eis resistit in bonũ, vt vexatio det eis intellectũ, vt quiescant ab acquisitione illicita: quia in eis prohibita modo superius dicto, & etiã quia contrariatur statui Contemplatiuorum.

CAPVT XXIII.

AD hanc etiã Contemplationẽ valet asperitas cilicij, ꝙ legitur in institutis patrũ prohibitũ, sed est intelligẽdũ, quod prohibitũ fuit exteriꝰ palã deferri, ne esset signum vanę glorię, sed intus ad car- *Cilicium gestare quatenus prohibitũ.*

nem eſt licitum portari, ſicut faciunt Carth. & valet ad reſtringendum & edomandum carnem per aſperitatẽ, ne delitijs affluens, in laſciuiam tendat, ſicque contra ſpiritum rebellet, & ipſum in contẽplatione impediat. Ad hanc etiam Contemplationem valet vilitas veſtimentorum, ornamentorum, & tota ſimplicitas quam habet Ordo Carth. Nam humilitas eſt via perueniendi ad Dei contemplationem, & Secretorum eius cognitionem. Sicut Chriſtus dicit: *Confiteor tibi Pater Deus cœli & terræ,* *Matth. 11. 25.* *quia abſcondidiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis,* i. humilibus, qui non ſunt ſapientes in oculis ſuis, i. qui nõ ſunt ſuperbi. Ad humilitatem autem peruenitur per humiliationem: Humiliatio autem conſiſtit in vilibus operibus, in abiectis & vilibus veſtimentis, in parco & vili cibo; & cæteris humiliationibus, ad quæ obligat Ordo Carth. vt ſic animus reſtringatur ab omni appetitu & delectatione curioſa, vana, delitioſa & vaga, & in ſe vniatur,

vt ſur-

Vt sursum, vnum, summum bonum quærat & diligat; eiq; inhæreat. Hoc enim necesse est, vt quando in inferioribus non delectatur, & quia sine delectatione esse non potest, ideò in superioribus veris & æternis bonis delectationẽ quærere debet DEVM contemplando, amando, & suauiter in DEO quiescendo. Et non solum ista vilitas debet esse in vestibus quotidiani vsus, sed etiam in vestibus sacris ad diuinum cultum pertinentibus. Quia non debent esse ornatus Missarum pretiosi, nec auro vel argẽto tecti vel ornati. Et vtinam hoc in omnibus domibus seruaretur, vt sic appetitus non delectetur exterius, sed deuotionem quærat interius in corde. Sic etiam prohibentur habere prætiosas picturas, ne excitent animum ad leuitatem, vel curiositatem, & impediãt deuotionem. Hæc enim curiositas & multitudo picturarum sæpius causat in sæcularibus indeuotiones, & quandoque sunt in muscipulas insipientium, quando nimiũ multiplicantur. Et ista multitudo & varie-

Non prohibetur in diuino officio pretiosus ornamentorũ cultus.

varietas picturarum in rationali diuinorum scilicet in prima parte notabiliter repræhenditur. Et etiam in statutis Ordinis Cartusiens. non tantum in Ecclesia, sed etiam in cellis. Permittuntur autem picturæ Crucifixi, ac Virginis gloriosæ Matris Dei, & cæteræ deuotæ ac paucæ, vt videlicet sunt Apostolorum, Sanctorum Martyrum, vel sacrarum Virginum, quæ in Schedulis habentur, non in parietibus. Insuper ad hanc contemplationem multum valet excopiatio sacrorum librorum. Ideò Statutum habent Carth. vt omnes monachi scribãt certos libros, id est autẽticos: ex quibus alij possunt proficere; & se emendare. Quia dicũt, quod quoties aliqui ex libris scriptis per eos emendantur vel compunguntur ad pœnitentiam, vel ad Cælestium desiderium & temporalium cõtemptũ, toties eis qui libros scripserunt, participes istorum bonorum fiant, & sibi meritum ex hoc acquirant. Vnde ad scribendum necessaria per officiales Ordin. ipsis ordinantur,

Scriptio librorum vtilis.

& qui

& qui ſcribere neſciunt , per alios informantur. Per hæc namque mens ſtabilitur & informatur in doctrina veritatis. Et quando ſcribunt Sãctorum Doctorum libros, qui de lumine cordis & infuſione Spiritus Sancti ſcripſerunt, & ignem cordis in litera poſuerunt, & calamum pennæ tinxerunt in cordis ſanguine, tunc ſine dubio intus in corde deuotè caleſcunt , in ſuperiora tendunt, in feruore caritatis proficiunt , Mundum cum ſuis concupiſcentijs amplius contemnunt , ac mentem ſtabiliunt per ſacram ſcripturam , circa quam ſcribendo occupantur . Quæ omnia ad Contemplationem , & Charitatis feruorem, ſpiritualemque profectum multum iuuant . Ideo à Cartuſ. iſta & his ſimilia corporalia exercitia ſunt aſſumpta : Quædam poſitiuè , vt ſunt Vigiliæ , labores corporis, veſtitus aſper , & vilium ac groſſorum indumentorum , labor ſcribendi &cætera . Quædam negatiuè , vt ieiunium , abſtinentia,
qui-

quibus abſtrahitur aliquid corpori & etiam minoratione rerum exteriorum & poſſeſſionum, quæ etiam negatiuè ponuntur, & alia multa quæ ad ſpiritualia valdè iuuant, & ipſam Contemplationem promouent. Et hæc omnia ex charitate fieri debent; & ad charitatem tendere, tãquam ad vltimum finem. Et ideò ſi aliquid minus ſeruatum fuerit de prædictis in charitate, reprehendi debent ab eis mutuò, vt ſtatutum eſt eis. Et hæc omnia ſunt facilia, ſi & quando charitas, ex qua fiunt, proficit, & contẽptus ſeculi, qui per hoc inducitur, ſẽper de die in diem plus augetur. Per hæc namq́ue reſtringitur cupiditas, & amor ſæculi, & eò decreſcẽte, augetur charitas, & amor DEI, & cętera ſpiritualia exercitia quæ ad Contemplationem iuuant.

CAPVT XXIV.

AD hanc etiam Contemplationem multum valet iugis cuſtodia ſilentij. Quod vtiquam in Ord. Carth. ſtrictius ſeruatur: *Cul-*

tus namque *Iustitiæ est silentium*, vt Isaias dicit. Per hoc etiam silentium *Esa. 32.*
prohibetur animus exire foras, & in- 17.
tus ire compellitur, & seipsum intu- *Silentium*
eri ac bene considerare, & in spiritu- *ad quid*
alibus exercitijs proficere: Quē pro- *conducat.*
fectum valdè impedit multiloquiū, & linguæ resolutio ad frequenter loquendum: Generat itaque conscientiam malam, vanam, tristem & inquietam, distractionesq; & occupationes plurimas, & raro deest peccatum in multiloquio: Ideò cautissimè restringitur per silentium. Vnde dicere habent illud Psalmi: *Dixi custo-* *Psal. 38.*
diam vias meas vt non delinquam in 3.
lingua mea. Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Quia quandoque propter grauitatis maturitatem & disciplinam religiosam à bonis est silendum. Nullo autem modo permittūtur verba scurrilia, leuia, vana, risumque mouētia in Ordine Carth. Vnde & Priores tenentur inordinata colloquia restringere & prohibere, vt statutum est eis; Et cauere ne de secularibus negotijs & Principum

& bel-

& bellis eorum tractent, defendendo vel arguendo, & cætera inordinata colloquia. Prior etiam non potest ludere aut solatiari cum subdito, nec econtrariò. Sed humiliter & reuerenter subditi ad Priorem in verbo & factis, & mutuò inter se, charitatiuè se debent habere. Specialiter autem prohibitum est eis, ne quis dicat alium mentiri; ne quis iuret, aut mala verba proferat. In his autem taliter delinquentibus si contingeret, graues sunt pœnæ positæ. Ideò quilibet cautus esse debet, vt silentium teneat. Quia & in fractione silentij sine causa similiter est statuta magna pœna; videlicet disciplina, quam nudatis scapulis in Capitulo tenentur accipere. Et si frequentius fregerit, super terram nudam in refectorio comedere, vel simili pœna aut grauiori debet puniri: & quādo loquendum est tempore colloquij, tūc statutum est quod de vtilibus loquantur & ædificatorijs. Nemo loquatur, quod velit celari, sed taliter, vt velit ab omnibus audiri, & nemo

De vtilibus loqui Cartusianis incumbit.

alium

alium præueniat loquẽdo, aut verba alterius; pręcipuè verò Prioris, interrũpat. Et etiã corã extraneis loquẽs, modum ſeruet, ne nimis prolixus ſit in loquendo. Et his & alijs multis modis ad loquẽdũ requiſitis, reſtringitur lingua à multiloquio, & verbis inutilibus: Et ex hoc conſequẽter os cordis interius compeſcitur à ſuperfluis & malis cogitationibus, quietẽ cordis impediẽtib⁹: ſimiliter & Cõtemplationem, quæ multum impeditur per cordis inſtabilitatẽ & inquietudinẽ. Rarò igitur & vtiliter, maturè & religiosè loqui debent, vt ſic ad Contemplationẽ, & alia exercitia ſpiritualia debitè diſponantur.

CAPVT XXV.

AD hanc etiam Contemplationem & ad ſuauitatem orationis, & ad ſimilia exercitia ſpiritualia multum iuuant inſtrumenta & vtenſilia cellæ. Nam quilibet in cella ſua habere permittitur inſtrumenta ſcribẽdi, ſecandi, ſimiliter veſtimenta, calceamenta, & alia quibus

bus indiget vt in 16.cap. secundę partis antiquarum institutionũ describuntur huiusmodi instrumenta & vtensilia: Quorum tamen vsus incertus eis conceditur, vt semper quilibet sit paratus in manus superioris resignare hæc omnia, quando requiritur quatenus sic peccatum proprietatis caueatur. Hæc autem ideò cõcessa sunt instrumenta eis necessaria, nè quod illicitum reputatur, quis egredi de cella compellatur, & pro talibus acquirendis occupetur: & ita mens eius distrahatur, & in meditatione, contemplatione, alijsque sãctis exercitijs impediatur. In his nãque & alijs exercitijs, corporalibus instructionibus & vtensilibus voluerunt institutores præfati Ord. occasiones & impedimenta contemplationum & aliorum spiritualium exercitiorum tollere. Ideò hæc omnia & singula & consilia ad hæc pertinentia, quę tędiosum esset per singula enarrare, debent Carth. studiosè attendere, & ad spiritualia rectè applicare, & per hæc impedimenta Cõtempla-

templationum tollere: ijsque sublatis, ad quietem & puritatem cordis tendere, vt sic valeant ad suaues orationes & Contemplationes, aliaque consimilia exercitia ascendere. Ad quæ Ordo prædictus suos Professores obligat, vt ea tanquam finem Religionis quærant, & per ea ad augmentum Charitatis tendant, quæ est communis finis omnis Religionis, omnisque status fidelium, imò finis omnis creaturæ rationalis. Elegerunt namque Institutores Ord. Carth. solitudinem, silentium, & cætera prætacta exercitia corporalia & opera, & etiam abnegationes multarũ corporalium & mentalium occupationum, vt peruenire possint in solitudine corporis, & per consequens etiam mentis ad suauitatem psalmodiarum & studia lectionum, in quibus interiorem inueniant DEI dulcedinem, ad feruores orationum, ad subtilitates meditationũ, ad baptismata lachrymarum, & compunctionum, & excessus contemplationũ, & similia exercitia, per quæ charitas auge-

augetur & crescit. Quæ quidem spiritualia exercitia nulla re plusquam solitudine possunt iuuari, vt quilibet in seipso potest experiri. Vnde & quidam Sanctorum Patrum: *Solitudo* (inquit) *est caput perfectionis*. Hæc præmissa habentur in effectu, & in sententia in cap. 27.2.partis antiquarum Constitutionum Ord. Carth. Et quia Contemplatio videtur esse superior & excellentior inter prædicta exercitia: Ideò tanquam à nobiliore Ord. Carth. institutus dicitur ad contemplandum. Item sicut alij Ord. ad prædicandum, alij ad militandum & cæt. tanquam à fine nobiliori nominatur.

LIBER SECVNDVS, AGENS DE NONNVLLIS *spiritualibus Cartusianorum exercitijs.*

CAPVT I.

NVNC verò videndũ est de spiritualibus exercitijs, quæ in prædicto Ordine habentur, & ad Cõtemplationem ordinãtur: Inter quæ exercitia pœnitentia est primum, quam tenentur facere de tota sua vita, quando primo monasterium intrant. Et consilium est apud eos, vt toties suas Confessiones generales faciant seu iterent, quoties Priores eorum mutantur. Hæc autem iteratio Confessionis non ex diffidentia vel desperatione fit remissionis peccatorum, sed ex deuotione, & vt cognoscat Prælatus & Pastor vultum pecoris sui. Et vt sic cuilibet prouidere possit secundum exigentiam conditionis suæ, quã in cõfessione tanquam bonus & fide-

Vsus generalis Confeßionis apud Cartusianos.

lis medicus discit. Hæc etiam iteratio est dispositio ad maiorem gratiã, ad pœnarum purgatorij diminutionem, & ad cætera, vt prius tactũ est. Et debet ex timore & amore DEI procedere sub spe veniæ, & integrè omnia confiteri. Et ideò melius esset à Confessione generali cessare, quãdo ex proposito nollet integrè confiteri, sed tantum aliqua; quia talis esset simulator, qui integrè se exhiberet confiteri, & tamen non faceret, & sic grauiter per simulationẽ peccaret. Sic & in prima generali confessione omnia integrè sunt confitẽda: cum circumstantijs qui in aliud genus ponunt peccata, & quæ notabiliter grauant. Aliæ verò circũstantiæ non sunt necessariò confitendæ. Exemplum primi: Luxuria confitenda est, si facta est cum soluta vel cum legitima aut cum sacrata. Similiter furtum, si commissum est in loco sacro, aut re sacra; quia tunc esset sacrilegium, & non simplex furtum. Exẽplum secundi, vt si aliquis est furat⁹ aliquid, non sufficit simpliciter di-

cere, *sum furatus*, sed exprimere debet viginti vel centum florenos, vnū, vel quatuor solidos, & sic certam quantitatem, & etiam vices, quātum potest, scilicet ter, decies. Grauius est enim peccatum furari multum quam parum.

CAPVT II.

DEbet etiam Confessio pura esse, vt purè confiteatur peccatum, & se reū constituat; Non laudans neque excusans in confessione, sed sicut fecit, ita nudè exprimat. Et si in actu laudabili, accidit superbia vel vana gloria, vt quia alios vicit in disputatione, vel similibus actib', ex quibus vanè fuit gloriatus, non debet victoriam exprimere', sed dicere, *in disputatione fui gloriatus, & me super alios mente extuli aliosq; cōtempsi*. Similiter debet esse pura & humilis, vt teipsum accuses & non proximum, & si proximus occasionem dedit, nequaquam illum nominatim exprimere debes: Neque in Deum neque diabolum peccatum retorquere, sed purè & humiliter tuū

peccatum agnoscere, & confiteri & dicere: *Accepta occasione in sufficiēti seu data, feci hoc peccatum vel illud, & nolui resistere dum potuissem*. Non enim potest homo compelli ad peccatum, quia peccatum est voluntarium. Voluntas autem à nullo potest compelli. Ideò SS. Martyres potius voluerunt mori, quam consentire malo. Sic & nunc homo potius debet sustinere mala, quam malo consentire, & hoc faciendo non compellitur ad malũ, sed voluntas libera debet manere in bono: Quã voluntatẽ nemo potest cõpellere, quæ etiã nõ peccat nisi velit. Et ex hoc habetur, *quod nemo læditur nisi à seipso*; quia lęsio propriè dicta quæ nocet homini, est peccatũ, quod nemo incurrit nisi voluntariè consentiat. Læsiones autẽ corporis, vel quæ fiunt in rebus exterioribus si benè acceptantur, magis sunt occasiones & adiumenta meritorum per patientiam, quàm detrimẽta. Videmus ista in sanctis martyribus, qui quãtò plus læsi sunt in corpore, tantò gloriosiores sunt effecti.

Nemo ad malũ cõpellitur.

Et similiter Iob & alij qui multa sũt perpessi, omnia patiẽter sustinuerũt, Ideò magna merita & præmia acquisierunt, quæ ex tolerantia malorum per patientiam adepti sunt.

CAPVT III.

DEbet tandẽ Cõfessio esse vera, vt verè exprimatur, sicut factũ est peccatũ, vel sicut negligentia est admissa, & debet cõfitens cauere, ne extraneas & impertinentes historias in cõfessionẽ adducat, sed tãtũ necessaria ad peccata & circũstãtias eorũ. Hæ etiam conditiones debent seruari in confessionibus, quas vocant generales in septimana semel. Quia tunc confiteri debent verè, humiliter, purè & integrè ea quæ intra hebdomadam commiserunt peccata, vel negligendo incurrerunt. Et licet venialia de necessitate non sint confitenda, tamen vtile & fructuosum est valde, multumque iuuat ad cordis puritatem & quietem, vt venialia notabilia: qualia sunt cogitationes malæ, in quibus voluntaria mora est facta, aut non voluntariè,

Venialia non cadũt sub præcepto confessionis.

ſine conſenſu operis aut delectatio-nis. Sicut etiam ſunt verba otioſa & ſuperflua, & cogitationes quibus nō fecit diligentiam excludendo à corde. Et hoc etiam facere debet vt prius ad Venerabile Sacramentum Eucharistiæ & ad Miſſarum celebrationem accedat: Per quod Sacramentum deuotè ſumptum multum proficiunt homines in gratia & vita ſpirituali, quando ſemper hæc confitentur. Porrò hæc Confeſſio non debet eſſe ex exteriori tantū ſuperficie & quaſi cōſuetudinaria, ſed ex deuotione & cōpunctione. Quia viri ad perfectionem tendentes ſæpius plus dolēt de venialibus, quam alij quidam de mortalibus. Et quando hæc purè & humiliter confitentur: ſcilicet mala deſideria & ſimilia, tunc à DEO ſine dubio citius purgantur, & in conſcientijs ſuis quietantur. Non igitur vt prætactum eſt, hæ Confeſſiones fieri debent quaſi ex conſuetudine, ſicut campſores numerant pecuniam, aut ſuperficialiter: ſed ex vero corde & firmo propoſito de cætero cauendi negli-

negligentias, concupiſcentias, & alia quæ confitentur. Ideò diligẽs diſcuſſio in timore Dei debet præcedere huiuſmodi confeſſiones, vt recolligat ſe de peccatis, & doleat, firmiterque proponat de cætero velle huiuſmodi præcauere. Vnde debet exquirere & excogitare modos, quibus poſſit reſiſtere, & cauere prædicta peccata & negligentias, in Eccleſia videlicet, in diuino officio, ſomnolentiam, inſtabilitatem mentis, leuitatem morum, & alia impedimenta deuotionis velit ſerioſius tollere & amouere, tam in cibo quam potu, alijſq; laboribus & occupationibus, quæ puritatem cordis, & debitã perſolutionem diuini officij impediũt. Et hæc impedimenta debet quilibet confiteri, dicendo; *ego fui ſomnolentus in choro, in lectionibus, in pſalmodia, in iſto pſalmo ex toto, vel interpolatim in quibuſdam verſibus: vel quia ore perſolui & non corde. Vel in his quæ legi ſolus, non ſeruaui debitum tempus & ceremonias, & dedi occaſionem diſtractionibus videndo in cella, in horto*

curiosa vel inutilia, vel etiam operando manibus, aut voluendo libros, exquirẽdo extranea in libris vel alio modo. Vel dedi occasionem somnolentiæ, quia non debito tempore ad quietem me disposui, nec impedimenta somni abstuli: sed me occupaui fortiter malis cogitationibus quæ somnum impedierunt. Itẽ fui negligens in conuersatione mea, quod non me benè & profundè discußi, nec recollegi, nec semper firmum propositum cauendi habui, neq; voluntatem meã fregi in omnibus secundũ professionẽ meã. Et etiam amorẽ superfluũ vel nimiũ habui vtensilium & aliorũ quæ in cella sunt. Nec profeci tãtũ vt debui. Neque diligentiam feci in proficiendo: Sed negligẽs fui in resistẽdo malis cogitationibus, negligẽs quasi in omnib⁹ quæ ex obediẽtia debui facere. Et sunt specialiter exprimenda & nominanda in quib⁹ sibi cõscius quilibet fuerit. *Multas etiam habui concupiscentias, nunc de mulieribus, nũc de cibis & potibus, nũc cupiditates de pluribus rebus istis vel illis habẽdis, vel de pluribus aut curiosis libris, etiam pro vsu priuato & simi-*

similibus. Et in quibus morem quis fecit, illa specialiter exprimat, & alia in generali dicat, *& de multis alijs cogitationibus offensis & negligentijs.* Similiter quando cogitationes iræ & vindictæ appetitus mentẽ mouẽt, tunc consimiliter est confitendum in speciali, quãdo mora in his habetur. Similiter & cogitationes de prædictis peccatis, siue veniãt cũ delectatione aut appetitu vindictæ, aut cũ cõplacentia &c. Et si mora fit in eis, cõfitendæ sunt specialiter. Non tamen debent aliæ personæ nominari. Sed sic, *habui malum desiderium ad quandam mulierem, & diu reuolui in mente.* Et exprimere debet confitens, an voluntariè & aduertenter, morosè in his delectatus sit. An sine aduertẽtia, sicut sæpius contingit quod diu morentur in aliquo noxiæ cogitationes, quas non aduertit, & tunc minus peccat. Si autem delectatur scienter in his quæ sunt mortalia, vt actus luxuriæ, iniustitiæ, homicidij, & aliorum peccatorum mortalium: Tunc secundum variorum Doctorũ

ſententiam Auguſtini, Thomæ, & aliorum, mortale eſt peccatum, quãuis non conſentiat in actum, ſed volutetur in iſtis cogitationibus malis modo prędicto. Sic etiã cogitationes blaſphemiæ confitendæ ſunt ſpecialiter, & odij & inuidiæ & cęterorum vitiorum. Et ante confeſſionem proponere quod velit ſummo ſtudio vitare peccata, & ex toto corde proficere ſtudioſè. Et in re eſſe Carthuſianus, ſicut nominatur, & ſicut habitu prætendit. Et quod velit ſe à delectationibus carnalibus & curioſis atque vanis abſtrahere, & ad deuota exercitia totaliter transferre, & vitia quæ magis eum impugnant, diligentius expugnare, & ſerioſius emẽdare. Occaſiones peccatorum declinare, & deuitare verba inutilia, detractoria, murmuratoria, clamoſa, irreligioſa, & inhoneſta ſummo ſtudio cauere, veram paupertatem tenere, cupiditatem penitus abijcere, caſtitatem & obedientiam amplecti, & nequaquam extorquere à ſuperioribus quæ ſibi placent ex propria volun-

luntate, ſed ſuperiorum voluntatem in omnibus ſequi. Sic de operibus malis, de mala cuſtodia viſus & aliorum membrorum. Et breuiter multa concludendo. Quilibet ante Confeſſioné ſe debet recolligere de omnib⁹ q̃ fecit in ſeptimana, quãdo facit generalé cõfeſſionem in Sabbatho. Quãdo autem facit quotidianam pro miſſæ celebratione vel cõmunione, tũc ea cõfiteatur quæ à proxima cõfeſſione cõmiſit vel neglexit, cũ firmo emẽdationis propoſito. Hæc autẽ pura, vera, humilis & integra Confeſſio cum præcedente diſcuſſione, contritione, & firmo propoſito emendationis generat magnam puritatem cordis, & eijcit omnia quę maculabant conſcientiam, & facit dignè accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ: Per quod etiam tunc concupiſcentiæ minuuntur, Gratiæ & virtutes augentur, ſpiritualis lætitia infunditur, & ad Contemplationem quilibet hoc modo diſponitur. Vides quantum valet confeſſio quod in ordine noſtro frequẽter facimus, &

quantum diſponit ad contemplationem, quæ datur tantum illis qui mũdo ſunt corde; quia tales DEVM videbunt ſcilicet in contemplatione, & poſt hanc vitam in gloria æterna: Si autem hæ Confeſſiones ſuperficicialiter ſine præcedente recollectione & diſcuſſione, ſine firmo propoſito ceſſandi à peccatis & emendandi fierẽt, tũc certè ad nihil eſsẽt vtiles. Imo peccatũ eſſet taliter cõfiteri, quia deriſio eſſet cõfeſſionis & pœnitẽtiæ. Quia ad verã pœnitentiã requiritur propoſitũ ceſsãdi & ſe emẽdandi, & dolor de præteritis. Et ſi animus retineret diſplicẽtiam, iram, odium, aut indignationem contra proximum, & nollet ei reconciliari, nec alias paſſiones, proprias voluntates, amores illicitos, & alia peccata dimittere & relinquere, neque ceſſare, fruſtra confiteretur. Imo confitendo peccaret, eo quod Sacramento irreuerentiam faceret, & pœnitentiam ſimularet quam non faceret. Videant igitur benè Carth. quando cõfitentur, vt ſint tales, vt prætactum

eſt

est,& sicut oportet. Quia DEVS non irridetur, sed omnia videt, omniaque ad iudicium portat. Et etiam istæ cõfessiones nõ purgãt, sed plus maculant conscientiã; contristãt & perturbant. Et qui sic inhærent passionibus & proprijs voluntatibus, & qui nolũt irã vel odiũ relinquere: isti sunt in cõtinuo dolore die ac nocte, propter prauã cõsciẽtiã quæ habet dolorẽ & pœnã sẽper annexã. Et tales etiam non satisfaciunt professioni, in qua promiserunt morum conuersionem, obediẽtiam, & stabilitatem, & sunt omni hora miseri & afflicti, & sępius infirmi. Quia dolor & tristitia animam sæpius cõtristat, & debilitat corpus, eò quod in iustitia cor restringitur, & spiritus vitales non benè ad membra mittere potest. Vnde Salomõ bene dixit. *Vita carnium, sanitas cordis, & putredo ossium inuidia*, quia sanitas cordis & gaudium conscientię viuificat & cõseruat corp⁹. Sed inuidia & alię passiones cordis quãdo magnæ sunt, tũc infirmum reddunt corpus. Vnde & Prou. 14. 30.

Psalmista dicit: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea & venter meus.* Quia iræ & aliæ passiones animæ vehemẽtes, transeũt de anima in sensualitatem & in corpus, & afficiunt ipsum debilitantque. Sic econtrariò, moderatum gaudium cordis & puritas cordis, & tranquillitas animi proficiunt corpori. Et si aliud meritum non haberet de puritate conscientiæ, quam gaudium huius temporis, libenter homo deberet propter hoc gaudium puritati conscientiæ studere, & propter tristitiã cauendam, malis & vitiosis passionibus resistere. Et sic patet quod hoc spirituale exercitium quod est Confessio & pœnitentia valet ad cordis puritatem, & ad veram apprehendendam charitatem & Contemplationem.

CAPVT IV.

Fraterna correptio.

ALiud verò spirituale exercitium quod ad prædicta multũ promouet, est fraterna correptio, quæ fieri debet in charitate, vt in Capitulo de reprehensione manifestè

festè habetur. Sic nãq; debẽt Carth. fortiter & caritatiuè reprehendere, quando aliqua illicita committunt quocunque modo. Et debet fieri cum mansuetudine & pietate verbis mansuetis & benignis. Et primo in secreto, si spes est quod velit audire & se emendare: Si autem non est spes, vel si non vult correptus se emendare, tunc dicendum vel nuntiandum est illi quæ prodesse possunt & non obesse. Superiori namque dicenda sunt hæc, qui si se non emendat, tunc nuntiandum est alijs superioribus, scilicet Visitatoribus vel Patri Carth. aut diffinitoribus. Hoc verum, quando potest habere, probationes, & confidit quod possit perficere. Quia nemo tenetur se dare periculo, nec tenetur aliquis frustra laborare, scilicet quãdo scit quod non proficit: Quia extremæ est dementiæ multum niti, & nihil aliud quam odium & turbationes reportare. Et fiunt etiam in Capitulo proclamationes nominatim in spiritu lenitatis & feruore charitatis. Et tunc nemo proteruè sed hu-

militer debet respondere, & emendationem promittere. Tamen si hæc proclamatio non seruiret charitati, sed oppositũ inueniretur in ea, quia generaret odia & turbationes, tũc ad tempus posset dimitti ex eadem charitate. Sed culpa in generali à præsidente vel in speciali & occultè aut publicè nominatim dicẽda esset in Capitulo secundũ superioris discretionẽ, qui hoc summopere intendere debet arguendo & parcendo, & quandoque differendo, vt vita corrigatur mala, caritas conseruetur, & quando frangitur, reformetur. Et qui timore humano & inordinato aut negligentia in prædictis negligens inueniretur coram districto iudice, qui cognitor est occultorum, rationẽ redditurus esset. Hæc autem charitatiua correptio & instructio est opus misericordiæ spirituale, quia ad spiritum dirigitur in quo principaliter est peccatum & emendatio. Et valet multum ad cordis puritatem: Quia sæpius homo in se & ex se negligens efficitur tædiosus, & sic vtiliter ab a-

lijs

lijs excitatur, & etiam sæpius cōtingit, quod homo se non benè considerat, sed palpat in defectibus proprijs: Ideò bonum est, vt ab alijs corripiatur & emendetur. Et debent singuli dicere præsidenti defectus aliorum, quando non audent ex quacunque causa delinquentibus intimare: Et tunc præsidens habet considerare, an publicè sine nomine aut nominatim, aut in priuato dici expediat aut in Capitulo. De hoc habuimus aliam ordinationem in nostra prouincia à Visitatoribus. Et debet Prior informare accusantes & accusatos, vt omnia in caritate & ex caritate fiant, & caritati deseruiant. Sicut etiam tenētur ex Statutis informare Cōmittes, vt omnia rectè & in charitate fiant. Hæc autem correptio quæ fit publicè aut priuatim, nominatim aut sine nomine corā Visitatoribus aut Prioribus, multum incutit timorem. Et sic multi ex hoc timore quamuis humano cessāt à multis offensis: & successiuè timor seruilis transit in initialem, & per hoc in filialem. Debent

autem

autem cautè reſpicere & attendere, quod ſe mutuò non obſeruent in defectibus & negligentijs. Et quod defectus proximi non ſcrutentur, nec eos grauent. Quod etiam non faciant accuſationes aut correptiones ex odio aut diſplicentia: Sed omnia ſyncerè & purè ex charitate. Et ſi contingit, quod homo motus eſt cõtra aliquem, cuius confuſionem ex odio aut ex paſſione deſiderat, de quo tamen dolet: Tunc ſi dubitat an accuſare illum debeat an non: Meli' eſt vt alteri hoc committat, & ex odio nihil faciat, quod videlicet odiũ ſub ſpecie boni ſæpius ſe occultat. Etſi tamen neceſſarium aut vtile fuerit dici defectum talem, & fortè ali' neſcit, tũc ſeipſum dijudicare debet, & odiũ deponere, & in ſpiritu charitatis & benignitatis Superiori dicere abſq; turbatione. Et cõpati proximo ſicut ſibiipſi, & ſicut velit ſibi fieri, ſic proximo debet facere, & prouidere quantum poteſt vt nõ cõfundatur, & tamẽ culpa emendetur. Et ſi ſic præcaueri poteſt confuſio

quod

quod nihilominus fiat emendatio, vtile est & bonum. Si autem non potest caueri quando fuit confusio & turbatio proximi, melius est vt turbetur & confundatur, quàm quod in culpâ maneat. Hæ autem correptiones & accusationes fieri debent in transgressionibus præceptorũ DEI, in transgressionibus Statutorum, cõsuetudinum Ordinis & excessibus irreligiosis quocunque modo fiant. Et semper attendere vt statuta dicũt, quod rationem reddituri sint DEO. Et non solum in hoc sed in omnibus alijs factis & negligentijs sciant se habere DEVM iudicem, qui de omnibus omnes iudicabit in veritate & æquitate. Tamen de his negligentijs & culpis dignis accusationibus specialiter est in statutis eorum admonitio facta & præceptum. Et includuntur in ea cætera quæ emendatione sunt digna, eò quod dicit in generali de reprehẽsionibus, culpis, quæ negliguntur reprehendi: Quia tã facientes quàm accusatores & correptores negligentes sunt rei in iudicio

DEI. Est tamen considerandum, quod sicut aliquæ sunt infirmitates corporum, sic etiam sunt nonnullæ infirmitates morum, quæ non possunt benè emendari, quæ etiā absque peccato possunt tolerari. In his debent se mutuò tolerare, & excusare mutuò suos defectus, quantum bona conscientia facere possunt; & mutuò iniurias remittere, & se mutuò in charitate iuuare auxilijs & cōsilijs: hæc enim pertinent ad caritatiuam emédationem & correptionem. Et sic ad eam reducuntur alia opera misericordiæ spiritualia: vt est consilium fratri dare quando videtur indigere. Quia consilium vel doctrinam ignoranti aut non benè agenti dare, est eū emendare. Insuper & ferre & portare infirmitates proximi & defectus, donec possit emendari, etiam Charitas requirit. Et pro eo ex charitate orare pertinet ad eandem, & Iniuriā veram vel æstimatam dimittere ex corde; rancorem & odium totaliter deponere, ad eandem pertinet charitatem.

Hoc

Hoc ergo spirituale exercitiũ quod est fraterna correptio, multum valet ad cordis puritatem & emẽdationẽ, & à SS. Patribus Benedicto, Augustino & alijs institutionibus Religionũ semper est posita. Quia in hac consistit Religionis reformatio. Quilibet autem Carth. debet esse mansuetus & humilis in respondendo ad sibi obiecta, & emendationem promittere. Si autem turbulenter respõderet, tunc grauem pœnam ex Statutis haberet, quam summo studio quilibet Religiosus cauere debet, & alijs bonum exemplum præbere, in humili responsione, & in promissione emẽdationis. Et quilibet in cella seipsum in his prius vincere debet, & sibi ipsi proponere accusationes, si sic, aut aliter publicè vel priuatim accusaretur, quomodo velit respondere humiliter & verè, & non turbare seipsum, neque alios sua responsione directè aut indirectè. Proponere quoque sibi debet vitam Christi, & eius passionem, & passiones Sanctorum aliorum; Et vtilitatem ac fructus patien-

tientiæ. Et hoc modo motus iracundiæ ac vindictæ restringere, & seipsũ vincere. Et tunc in patientia sua possidebit animam suã, & proficiet corã DEO & sãctis eius, atq; fratrib⁹ suis. Quoniam naturaliter omnes diligũt humiles, patientes, & se non defendentes, sed potius emendationem promittẽtes, & eam facientes. Et infinitæ vtilitates ac nobilitates innumerabiles ex hoc spirituali exercitio proueniunt, si syncerè in vera charitate impletur. Si autẽ tunc nõ sequitur semper optatus effectus, quod DEVS auertat homo, tamen liberauit animam suam, & non est ad impossibile obligatus à DEO, qui intuetur corda eorum qui lugent peccata fratrum suorum, & defectus monasteriorum, & signatur à DEO signo Thau, vt in Ezechiele legitur.

CAPVT V.

Lectio SS. Scripturarum.

ALiud spirituale exercitium lectio & studium sacræ scripturæ. Ideò in Statutis scriptum est, quod libros duos de armario accipimus, quibus quilibet curam & dili-

diligentiam adhibere debet, nè pul-
uere aut fumo maculentur : libros
namque tanquam animarum nostra-
rum cibum cautissimè custodimus
&cæt. Sicut enim corpus reficitur,
nutritur, pinguescit, sustentatur &
augetur ex cibo corporali: sic anima
reficitur, nutritur, pinguescit & su-
stẽtatur in vita spirituali, atq; augetur
iu cibo spirituali diuinæ scripturæ,
qui ex libris hauritur. Nõ. n. in solo
pane viuit homo, sed in omni verbo
quod procedit de ore DEI. Et maxi-
mè Solitarius sine sacra scriptura cẽ-
setur velut mortuus, nec potest nu-
triri ad profectum, neque perseuera-
re in sancto spirituali proposito in
solitudine cellæ, sine refectione scri-
pturæ sacræ, in qua inuenit exempla
virtutum quæ imitetur, Victorias
vitiorum, Contemptum mundi, ac
propriæ voluntatis amorem DEI &
proximi, pœnas inferni quas absti-
nendo à peccatis euadat, & gaudia
patriæ cælestis quæ bene viuẽdo ap-
prehendat. In sacra pagina deuotio
excitatur, compunctio salutaris &
suip-

Lectio librorũ piorũ quid conferat.

suiipsius cognitio, quæ excellit notitiam & scientiam omnium creaturarum. Debet autem bonus cellita eligere sibi libros ad legendum qui sint pro ædificatione & promotione spiritualis profectus. Et Priores & Magistri nouitiorum ac alij debent instruere alios ignorantes in his libris, vt libenter legant instituta Patrum, Collationes & Vitas Patrum, in quibus exempla virtutum habentur; quibus prouocatur Solitarius & quilibet proficere volens ad imitandũ. Ibi quippe reperiuntur cognitiones vitiorũ & remedia eorũ, & vitia quæ se occultant sub specie virtutũ: Et qualiter debet homo malis cogitationibus resistere, & qualiter eas debet cognoscere. Qualiter etiã ad spiritualẽ sciẽtiã vt int⁹ sapiat, q̃ suauis est Dominus, debeat perueuire, & Deũ in scriptura gustare: Qualiter insuper ad orationẽ se præparare, & in ea perseuerare, & qualiter ad Contẽplationẽ possis ascẽdere. Similiter libenter legere debent Sermones & scripta B. Bern. Abbatis, B. Gregorij, Bre-

Qui nam sint Cartusianis legendi libri.

Breuiloquium Bonauenturæ; & itinerarium mentis in Deũ eiusdẽ. Nec non scripta Sanctorum Augustini, Hieronymi & cętera. Ista etiam scripta & similia continent totam deuotionem & spiritualem profectum; detestationem vitiorum: desiderium virtutum & cælestis Patriæ. Et sicut de lumine æternæ veritatis & igne diuino atque vnctione Spiritus Sancti sunt scripti: Sic etiam accendunt & illuminant atque vngunt omnes qui accedunt deuotè in syncero corde ad legendum huiusmodi libros. Et debet ante lectionem præmitti breuis Ordo ad DEVM, vt intellectum illuminet, & affectum inflammet, vt possint eodem Spiritu, quo scripti sunt intelligere, & in eis accendi: atque in detestationem vitiorum & amorem virtutum maiorem ex his peruenire. Et debent cauere ne nimis studio se grauent, sed modicum legere deuotè, & hoc ipsum, postea dulciter meditari & incorporare, atque ad practicam operis ponere, & sic in his

spiri-

ſpiritualiter proficere. Cauere debēt ne ſe ſcriptis gentilium; aut diſputationibus & magnis ſubtilitatibus nimium grauent vel occupent. Non enim ſtudere & legere debent vt appareant ſibiipſis aut alijs ſapientes: ſed vt proficiant in vita ſpirituali, & ſciant quid gratum ſit DEO omni tēpore: & etiã ſcire & cognoſcere poſſint occultas inſidias, & dolos hoſtis antiqui, & ſibi ab his præcauere. De quib⁹ omnibus in ſcripturis prætactis & ſimilibus docētur. Debēt itaq; primo in ſtudio requirere gloriã Dei, & ſtudere ad honorē ei⁹: vt ei per ſtudium placeant. Et hoc modo merentur, quia tale ſtudium eſt actus charitatis. Et etiam vt afficiantur ad ſpiritualia: & fiant amplius deuotiores & feruentiores. Quæ omnia & ſimilia in ſacro habētur eloquio, & ſcripturis Sanctorum Patrum & Doctorum. Et ſic non debent quærere tam theologiam intellectualem & rationalem quam affectualem & ſapidam, quam vtique præ omnibus quærere debent: Vt ſic affectum Sanctorum

ctorum Scriptorum induant,& in eodem ſpiritu legant,& guſtent interiorem dulcedinem. Et ſic in amicitia DEI & familiaritate ac connaturalitate ſanctarum virtutum incrementum ſumant,& interiorem pulchritudinem videant,& eam apprehendant. Vt ſic ſemper interior homo, qui aſſimilatur DEO, de die in diem proficiat & augmentum recipiat. Libenter etiam debent legere tractatus ſcriptos de ſpirituali profectu, de vita religioſa, quomodo mores debent componere & emendare exterius,& reſiſtere vitijs interius, ſciātque quomodo ad Contemplationem tendere oporteat. Valet etiam multum ipſum ſtudiū ad Contemplationem, vt periculoſi errores caueantur, qui errores ignaros ſæpius inuoluunt.

CAPVT VI.

Meditatio ex lectione vtiliter proficiscitur.

POſt lectionem verò ſequitur meditatio, quæ cibū miniſtratum à lectione maſticat: vt ſpiritualem ſaporē indè trahat. De hac meditatione quomodo ſubtilietur

in solitudine habetur in Capitulo 27. secundæ partis antiquarum constitutionum. Hæc tamen sancta meditatio differt à cogitatione. Quia cogitatio est improuidus animi aspectus ad vagandum pronus, & per varia vagatur, nunc hoc nunc illud cogitat, & nunquam in aliquo stabilitur. Meditatio autem est prouidus intuitus animi, inquisitioni veritatis intendens. Et sic interiora eorum quæ in lectione percipit scrutari stupet, & DEVS sæpius in hac meditatione animæ deuotæ adiungitur, eique secreta reuelat. Eamque in spirituali feruore accendit, & ad vlteriora prouehit. Et nunc in admirationem, nunc in deuotionem, nunc in feruorẽ trahit. Hæc meditatio scrutatur ea quæ legit. Vnde exemplum ponamus. Legit anima: *Beati mundi corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Meditatio ista scrutatur & intra se dicit; Potest vtique hoc aliquid boni esse quod sic benedicitur, & ad DEI visionem animã perducit, & inquirit quomodo & qualis sit ista munditia: & vi-

Discrimẽ inter meditationẽ & cogitationem.

& videt quod in corde esse debet, pura & syncera cõscientia, quæ non sit rea de præterito, neq; conscia de pręsẽti, neq; intendẽs mala in futurũ. Et ideò ad hãc verã puritatẽ per verã pœnitẽtiam tendit: & postea per diligentẽ custodiã eã seruare & custodire studet: vt Deũ videat in vita pręsenti per Contẽplationẽ: & post hãc vitam facie ad faciẽ, id est clarè & sine velamine & sine ænigmate. Similiter quãdo legit, *Beati pauperes spiritu: quoniã ipsorũ est regnũ cœlorum:* Scrutatur quid sit paupertas Spirit⁹, & inuenit quod sit in humilitate, quę nõ habet inflationẽ neq; Spiritũ magnum, sed paruum & humilem, nõ se reputãs; neq; super alios se extollẽs. Et tũc meditatur & pquirit modos & media quibus ad illã paupertatẽ Spiritus possit peruenire. Similiter facit in alijs scripturis: q̃a ad interiora tẽdit, & varijs modis masticat scripturas, & in mẽte reuoluit, & varios sapores exquirit: Nũc ad humilitatem, nunc ad dulcem patientiam, nunc ad suauem charitatem, & ad alias virtu-

tes excitatur ad contemptum mundi & odium seculi: Intus autem cætera meditatur, nempe Christi vitam, natiuitatem, conceptionem, prædicationem, labores, passiones & glorificationem , & ibi in admirationem perducitur: Et ibi ad imitandum, & gratias agendum excitatur, & acquirit Spiritum humilem, quietum, deuotum, & contra omnia mala armatum & tutum: Et hæc specialiter attẽdere debet quilibet cellita, vt nulla die meditationem vitæ Christi negligat: Nunc vna die natiuitatem: altera die magorum oblationem: pueri Iesu in templum præsentationem, & cætera diuidat per dies, aut certè quolibet die singula, quanta potest deuotione & morosa meditatione, percurrat, & vbi maiorem repererit deuotionem, ibi etiam maiorem faciat moram. Per hanc etiam salutarẽ meditationem solitudo erit suauis, & ad vitiorum detestationem & extirpationem excitatur, & ad virtutũ acquisitionem. In vita namque Christi reperit omnes virtutes. Ibi namque

q̃ue discitur summa humilitas & mititas: Ad quam & ipse nos imitandã inuitauit dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ipse & sũmè patiens fuit. Vnde & in eo reperitur exemplum summæ patientiæ, perfectæ Sobrietatis & abstinentiæ, charitatis & perseuerantię. Et breuiter quicquid virtutis potest excogitari, in Christo plenissime inuenitur. Qui sua nos passione docet; & exemplum præbet vt fortiter pro iustitia, veritate, & fide pugnemus. Hæc etiã meditatio vitæ Christi valet contra omnes tentationes. Quãdo enim deuotè in cruce attenditur serpens, id est Christus, qui per serpentem æneũ fuit figuratus: tunc nihil potest nocere serpens antiquus & tortuosus; sed confusus vituperabiliter abijcitur & recedit. Hæc meditatio perquirit singula, & de temporalibus transit ad æterna: Et arguit & discurrit atque per creaturas venit in notitiam Creatoris. Ad hanc meditationem valent tractatus qui scripti sunt de passione Christi: & aliæ scripturę

Matt. 10. 29.

Meditatio vitæ Christi ad quid valeat.

quæ studiosè debent meditari, vt sic memoria possit stabiliri, ratio illuminari: affectus in amore Dei & contemptu mundi accendi. Hæc meditatio est vnum de exercitiis spiritualibus, quæ facere Carth. in cellis post Vesperas, & tẽpore Vigiliarũ in nocte, & alijs congruentibus temporibus deuotissimè debent.

Capvt VII.

CAEterùm meditationẽ sequitur aliud spirituale exercitiũ, & dicitur Oratio, de qua in eisdem Statutis legitur, capitulo præallegato, quod in solitudine acquirantur feruores Orationũ. Vidẽs nãque homo quod in meditatione deficit; licet ardeat & desideret: tamẽ acquirere pro volũtate non potest quæ desiderat. Legit nãq; de mũditia cordis, q̃ profundè meditatur, & acquirere cócupiscit, atq; per hanc ad Dei vult peruenire visionem, sed multũ laborat ad hæc, & in se deficit & dicit, Quia *nõ est à me auxiliũ mihi*. Et alia plurima legit & meditatur, & tamen

Orationis exercitiũ.

tamē longè sūt ab eo. Neq; ad ea peruenire potest: sed dicit: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et iterū: *Defecerunt oculi mei* &c. Videt etiam quod Philosophi habuerunt meditationem, & scrutati sunt profundè, & per creaturas inuenerunt Creatorem omnium: & tamen in suis vanitatibus euanuerunt. Ideò se humiliat, quia contremiscit iudicium DEI, & dicit: *Non in viribus meis ista poßidebo, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Ideò ad orationem se conuertit: Et orationibus obtinere ex misericordia DEI nititur, quod nequaquā suis studijs acquirere potuit. Et quia scit ꝙ animus ante orationē debet ꝑparari, ne sit quasi tētās Deū: Ideò diligēter animū præparat ante orationē, & purificat eū in propria sui discussione, humiliatione, caritate & feruore. Et sic cū abiectione omniū vitiorū & tētationū, cū ornatu virtutum; & inflāmato Sancto desiderio ad orationem accedit, & Deum deuotè implorat, & tentationibus in orationibus, viriliter re-

Psal. 118.
Rō. 1. 21.
1. Re. 2. 9.
Eccl. 18. 23.

ſiſtit. Et ab oratione non recedit, donec acquirat quæ petiuit, & in oratione ſuam cogitat miſeriam: & Dei magnam miſericordiam: at alia beneficia ex quibus anima accenditur in feruore & dilectione, & ſurgit deuotè in orationẽ, in qua ſi bene perpendit, nunc occurrunt affectus admirationis, quia dicit admiratiue,
Pſal. 81. *Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Nunc affectus congratulationis, quãdo dicit: *Omnes gentes plaudite ma-*
Pſal. 46. 1. *nibus.* Nunc affectus timoris, quando
Pſal. 6. 1. dicit. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Et variæ ſunt ſpecies orationis. Nũc.n. ſupplicat pro re æterna, nũc per rem ſacram poſtulat, nunc alio modo orat. Quæ omnia deuota anima plus experientia, quam literali ſcientia diſcit. Et in his Orationibus ſæpius anima compungitur, nunc ex conſideratione miſeriæ huius vitæ & ex conſideratione propriorum defectuum, nunc ex cohabitatione malorum, quibus valde compatitur, & de eorum peccatis plus quam de

ſua

ſua propria miſeria & iniuria dolet. Nunc etiam compungitur ex dilatione cœleſtis patriæ, quam vehementer deſiderat, & dolet quod tam diu in hac miſera vita moratur. Et ex hac compunctione miſeriæ & cæleſtis patriæ deſiderio, purgatur anima ſæpius de occultis ſuis.

CAPVT VIII.

POrrò poſt hoc ad conſpectum DEI, (quantũ poſſibile eſt creaturæ) admittitur, per ſanctam Contemplationem: quę eſt dulcis inhæſio DEI cum admiratione. Vel eſt liberæ mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpecula cum admiratione ſuſpẽſa. Et dicitur benè liberæ mẽtis: quia mens contemplatiua debet eſſe libera ab omni cura & ſolicitudine exteriori, ab omni vitio, ab omni im- *Mens cõtẽplatiua debet eſſe libera.* mũditia & impuritate. Sed totaliter libera in libertate gratiæ & caritatis. Dicitur etiam perſpicacia: quia oculus mentis debet eſſe perſpicax: illuminatus & clarificatus lumine diuinæ gratiæ, atq; intuitus eius cla-

rus in superiori parte rationis, quæ cœlestia contemplatur. Et debet esse affectionata, vt non solū cognitione sed etiam affectione in superiora tēdat. Amor namque sæpius penetrat quod ratio nō capit neq; apprehēdit, & in ista suspēsione, qua sursum suspēditur, & diuino lumini cōiūgitur, anima admiratur. Non tamen ipsum lumen diuinum in sua claritate videre potest in hac vita, de lege DEI cōmuni, sed hoc facit in vita beata. Sed videt eo modo, & ea similitudine qua Deus reuelare dignatus est. Et ibi discit anima multa in breui tempore. Ibique suauiter reficitur, & in amplexus sponsi ruit & cupit dissolui, & esse cum Christo sponso suo, & æternaliter perfrui gustata suauitate. Sed licet sit fœlix hora, tamen est paruula mora, quia non potest diu stare in tali suspensione. Sed cito ad inferiora descendere cōpellitur. Et post hoc anima magnū habet tędium de vita tēporali, & de omni humano solatio. Sed semper in superiora & in æterna quæ semel gustauit, iterum

tendere studet. Et omnia impedimenta remouere curat; scilicet omnes exteriores occupationes, malas affectiones, & amores inordinatos creaturarum, & se totaliter atq; perfectè studet cōtinuò præparare, vt iterum Dei cōspectum videat, & epuletur suauiter. Iste itaq; est finis Ord. Carth. scilicet iugiter aut certè frequēter DEO inhęrere per sanctā Cōtemplationem. Et ad hunc finem omnia exercitia tam corporalia quam spiritualia Ordinis præfati ordinantur cōueniētissimè. Et si legeris scripta Sanctorum, quomodo & qualiter se debeat homo præparare ad Cōtéplationē per corporalia exercitia & spiritualia, tunc inuenies ꝙ hæc in Sacro Ord. Carth. seruantur. Ad hoc nāq; corporalia exercitia ordinātur, vt corpus disponatur ad obediēdum animæ, & per abstinentiam & labores corp⁹ restringatur à lasciuia, per solitudinē ab euagatione, & spiritualia exercitia purificant animam, vt est Cōfessio, pęnitētia, exercitiū bonorum operū, lectio, meditatio, oratio

Finis Ordinis Cartusiensis.

tio & simila & asperitas vestimentorum, & omnia alia exercitia humiliationis ad hoc valde iuuant: vt sic vir religiosus benè dispositus in corpore per moderationem cibi & potus conuenientium, & in anima purgat9, humiliatus; & feruore charitatis accensus, in loco solitario positus, ab omnibus culpis & curis ac solicitudinibus remotus, liberè possit æternis & veris bonis in tempore silentij & quietis intendere, ad quæ homo est creatus, & quæ etiam homo naturaliter desiderat, quia omne ens desiderat suum principium vnde processit. Sed quia anima à DEO processit, ideò naturali desiderio ad Deum tendit: Hoc autem naturale desiderium debet per industriam dirigi, & studio spirituali adiuuari per cordis puritatem, feruorem spiritualẽ, lõganimem expectationem ac perseuerantiam, vt in huius rei amore anima humilietur & purificetur, & tandem optatum acquirat finem, scilicet vt copuletur fini, qui non habet finem. Et in tali desiderio anima ignitur

nitur interius, & contiuuò in diuino amore sursum tendit, nunc admiratione, nunc nimia exultatione, nunc nimio feruore accensa, & incipit obliuisci sui, & omnium creaturarum, & ad eum vadit desiderio, qui est omnium Creator, & ab eo suauiter perungitur: Ab eo extra se rapitur, & ad videnda secreta eius perducitur; & ibi quietatur in brachijs Sponsi, & gustat quam suauis est Dominus, & dicit: *Osculatur me osculo* Cant. 1.1. *oris sui.* Et iterum: *Ego dilecto meo &* Can. 2.16. *dilectus meus mihi.* Et iterum: *Læua ei⁹* Cant. 2.6. *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læua sunt temporalia bona quibus sustentatur, quia in sinistra eius diuitiæ & gloria. Illa omnia tunc calcat, & sub capite mentis, id est sub ratione collocat. Sed *dextera eius amplexabitur me*, id est beatitudine & cœlestibus bonis, quæ sunt participatio felicitatis æternæ. Et sẽper ibi desiderat quiescere, & in copulatione Sponsi manere, vbi habet iubilum ineffabilis lætitiæ: Vbi habet inebriationem ex cælestibus bonis, &

nis, & extra suam propriam ponitur mensuram.

CAPVT IX.

VErum enimuerò, quia diu in actu Contẽplationis perseuerare nõ potest, quia gaudium Contẽplationis est ad instar puncti; ideò citò ad ista inferiora redit, & tunc lãguescit & dolet eo, quod spõsum suum dilectum amisit: & sæpius post hoc in mentis ariditatem cadit, vt nec sapiat oratio, neq; sacra lectio, aut meditatio. Et sic à Deo probatur anima, vt purgetur meli⁹: vt etiã alijs infirmis compatiatur amplius, & humilietur, & sciat se nihil esse à se, nec à seipsa quicq̃ habere, & etiã vt sciat donũ Dei esse, quãdo sibi datur deuotio. Et ideo in huiusmodi ariditate, anima deuota debet esse constans & fortis, & nequaquã frangi, sed studiosè per humilitatẽ & sãcta exercitia iterum sursum tendere ad amplexus Sponsi: & brachia sua ornare & præparare, quæ sunt humilitas & desiderium; Quia istis brachijs attingitur

Spōſus. Primò nāq; humilitate, quæ omnia mala deſideria calcat & vincit: Quæ etiā fodit in anima profundā foueā; vt fluui⁹ ætern⁹, qui eſt De⁹ glorioſus, copiosè in eam fluat. Hæc humilitas trahit Sponſum de ſedibus regalibus. Quia libenter quieſcit ſuper humiles & quietos. Et ideo quādo rex eſt in accubitu ſuo, tunc nardus animæ, id eſt, feruens humilitas animæ dat odorem, & Sponſum de regalibus ſedibus ad ſe trahit. Et benè conſiderare debet origines & fontes deſideriorum. Quia duo fontes in nobis ſunt, à quibus omnia deſideria fluunt: ſicut aqua de fonte ſcaturit. Primus fons eſt amor proprius: de quo fluit propria excellentia, ſuperbia, ira, inuidia, & omnia vitia in quibus amor proprius includitur. Superbia nāque vult præ alijs videri; & ſic inordinatè ſe amat, & ex hoc ſe extollit. Sic inuidia dolet quando alius aſſimilatur ſibi in laude & excellētia, æſtimās per hoc minui ꝓpriam laudem & gloriā: Ira reſiſtit illis q̃ proprium amorē impediunt.

diunt.

diunt. Auaritia quærit abundantiam rerum; vt in rebus exterioribus excellat, & sufficientiam secundũ proprium desiderium habeat. Sic & luxuria quærit propriam complacentiam in delectatione. Similiter & accediã in quiete & requie quærit excellere, & volũtatem propriam implere. Et ita contingit de omnibus vitijs, quod de proprio & inordinato & impuro amore nascantur, tanquã ex fonte infecto. Iste autem fons obstruendus est cum magna diligentia, per humilitatem per quam proprius amor debilitatur. Et ideò Sancti Patres qui in spiritualibus exercitijs aliquid profecerũt, & nos discipulos instruxerunt, magnam diligentiam pro humilitate acquirenda fecerunt. Et gradus humilitatis atque humiliationis exercitia habuerũt, vt sic fontem proprij amoris obturarent. Sic in Statutis nostris, multa habentur humiliationis exercitia, & quasi vniuersa tendunt ad attritionem, vilitatem, & humiliationem, scilicet in ædificijs, in vestibus & in picturis: in

cibis

cibis & potibus, in paupertate & alijs restrictionibus, quibus iste fons proprij amoris est obturandus: vt homo verè & perfectè humilietur.

Et isto fonte clauso & obturato per humiliationes & humilitatem: vt homo acquirat suiipsius odium, & animam propriam suam iuxta euangelium odiat; vt eam in vitam æternam saluam faciat. Tūc fluere incipit alter fons, qui est amor purus & sincerus. De isto fonte namque procedit primò timor Domini, qui fluendo crescit, de seruili in initialem & in filialem. Amor namque est inclinatio & pondus animę, & sequitur intellectum, qui summum intelligit bonum; & tunc sequitur affectus; & diligit illud summum bonū; & sic inclinatur & fertur in illud sūmum bonum secundum rectam rationem. Et in isto summo bono anima considerat magnam & infinitā maiestatem; & in conspectu tantæ maiestatis timet. Et sic generatur in ea timor. Et quia considerat eum esse infinitæ bonitatis, ideò incipit cū timore

more amare, & quandoque diu immoratur timori: Quia nescit an odio an amore digna sit. Timet nunc offensam sponsi: Nunc timet de perseuerãtia, nunc timet de recessu, & sæpius iste timor totaliter trãsit in charitaté: Ex qua generãtur affectus virtutum : quia inde generatur gaudiũ, pax, mãsuetudo, bonitas, patientia, & aliæ virtutes & affect⁹ suaues atq; dulces; quæ animum dulciter reficiunt . Et in ista charitate & puritate cordis atque feruẽti desiderio anima sursum rapitur in affectus suaues, & per contemplationẽ Deo copulatur, ad quẽ est creata. Quia propter hoc anima est creata: vt Deo vniatur. Et quilibet homo in hac vita pro posse niti debet ad hoc vt Deo vniatur per Contemplationẽ, & in eius crescat continuè charitate.

CAPVT X.

Religiosè præcipuè ad perfectionẽ aspirare tenentur.

HOc autẽ præcipuè ad religiosos pertinet; q mundum reliquerunt, & Statũ perfectionis assumpserunt, & omnia reliquerunt impedimẽta: & ideò licet oẽs teneã-

tur

tur proficere in diuina charitate, & exercitijs spiritualibus, tamē præcipuè ad religiosos ptinet. Et maximè religiosi, quorū religio instituta est ad cōtēplādum, prę alijs debēt in his diligētiā facere. Et licet peccatum sit omnibus, nolle proficere, vel nō aduertere profectum spiritualē, nec tēdere p Contēplationem ad vltimum finē (quia vbi volunt stare, ibi ponūt obicem Spiritui S. & ei per obstinatā & malam voluntatē resistunt) tamē maius peccatum est hoc in religiosis, quorum stat⁹ est exercitium proficiendi, & præcipuè illi q instituti sunt ad hunc finem, graui⁹ habent peccatum; quando per media debita in superiora tendere nolunt, neq; volunt proficere in meli⁹, nec finē suæ religionis apprehēdere. Quia licet religios⁹ nō teneatur esse perfect⁹, tamē hoc requiritur ad religiosum, quod in Schola virtutum quæ est Religio, tēdat ad perfectionē; & quādo illud propositum proficiēdi postponit, vel nō reputat neq; curat, sed in suo sēsu ambulat, & secundū cōsuetudinē cū alijs transit ad chorum, & ad alia

exercitia & opera, & interius non habet propoſitum proficiendi, talis vtique non eſt in bono Statu. Quapropter Carth. diligenter ſeipſos debent attendere, & exercitijs ſpiritualibus ſuis & corporalibus vti ad finem præſtitum, ſcilicet ad Contemplationem. Et ſi non conceditur eis raptus & alienatio à ſenſibus, & prægustatio felicitatis æternæ, tamen in propoſito tendendi ad iſta ſemper debent manere. Et ſi ſe benè exercitant modis prædictis, tunc ſine dubio aliquando peruenient ad feruorem orationis & quietem cordis. Ad ſubtilitates meditationum, & ad alia plurima exercitia ſpiritualia: in quibus proficient diligenter, & ex quo habent propoſitum tendendi ad Cõtemplationem, & continuè ad eam acquirendam laborant; tunc vtiq; in parte ſaltem eam acquirẽt & apprehendent, ſi non in ſummo & perfectiſſimo gradu, in quo alienatur homo à ſenſibus, & deguſtat æterna, qui gradus rarò datur in hac vita, ſed alij gradus qui conſiſtunt in imaginatione, in

ne, in intellectu, in appetitu verorũ bonorum, in cordis quietatione, & huiusmodi sæpius appræhenduntur in hac vita. Aliter tamen distinguunt hos gradus, Richardus de S. Victore in libro de Contemplatione, aliter Vercellen. Aliter alij Doctores deuoti, sicut poteris in scriptis eorum varijs inuenire. Hoc tamen mente tenendum est, quod propositum tendēdi debet quilibet Carth. habere in superiora, & ad perfectionem; & habere debet exercitia sua ad hæc ordinata, quæ sunt tanquam Instrumēta, bona namque instrumenta faciũt bonum artificem. Et ad hæc promouenda debent Priores summo studio niti, suis scilicet exhortationibus in Capitulo, vt continuò exhortentur in omni patientia & doctrina. Similiter monachi seipsos cautè considerent, quomodo in his exercitijs corporalibus & spiritualibus se exerceant, & quomodo in his proficiant. Quomodo mores suos continuè in melius conuertant, stabilitatem & obedientiam, paupertatem, castitatem

Quotidianæ religiosorũ cogitationes.

tem cum cæteris requisitis ad monachum seruēt, tēpora posita & deputata ad spiritualia exercitia cōsumāt, & quomodo ad hāc Cōtemplationē, & augmentum charitatis continuò tēdāt. Videant an tædio affecti ex occurrentib' tentationibus, aut, ex quacunq; occasione hęc postponant, & animum proficiendi relinquant. Quia si nō sunt tales quales dicantur, quales æstimantur, & quales esse debent, graue certè iudicium habebunt, & nō saluabit eos solitudo corporis, si fuerit in eis magna occupatio malarum cogitationum & affectionum mētis, cui resistere nolunt; sed in omnib' succūbunt, & fiunt rigidi, superbi, intractabiles, & aliter secūdū suas pigritias ambulātes, parū spiritualia curātes. Absit autē, vt hæc inueniantur in eis: Tamē quia homines sūt; & diabolus qui odit spiritualia, ad hæc mala tētare nō cessat, ideo cauti esse debēt, & videre quomodo rectè ambulēt; iudicium Dei, & mortē ac pœnas infernales præ oculis habētes: Vt sic terreātur, & ad meliora continuè profi-

proficiant & excitẽtur, cõcipiẽdo à timore Dei ſpiritum ſalutis. Ad hæc etiam faciẽda multũ iuuat diſcretio magiſtorũ, qui nouitios informant, vt dirigant eos in exercitijs ſpiritualib9 & corporalib9. Et quo pacto corporalia ad ſpiritualia tẽdere debeant: Et quomodo proficere in morib9 exteriorib9 & interiorib9, vt cõtinuò meliores efficiantur: Quia per hæc inſtrumẽta peruenitur ad puritatẽ & contemplationẽ atq; charitatẽ. Et licet charitas promoueat Cõtẽplationẽ, tamẽ etiam è cõuersò Cõtẽplatio facit promotionem charitatis: eò ꝙ charitas in contemplatione augetur. Qui autem hæc inſtrumẽta nõ habet ſcilicet paupertatis: Quoniam fortè nimium diligunt res ſuas: Nec obediẽtiam, quia fortè nimiũ ſequuntur voluntatẽ ſuam: & extorquẽt ea quæ licitè habere nõ poſſunt: Nec ſimilia inſtrumẽta ad hæc ordinata, habere volunt; Certè iſti non benè poſſunt gloriari de vita religioſa: Neq; ad opera perfectionis peruenire, eò quod in via perueniendi ad ea non ambulant.

CA-

CAPVT XI.

ITaque ex prędictis fortè solutionem dubiorum tuorum habere poteris; scilicet in quo consistat perfectio Ord. Carth. quia in cõtemplatione æternorum & verorum bonorum. Et quæ sint exercitia cellitarum, quia corporalia & spiritualia, è quibus in superioribus audisti. Et quomodo in his se debeant exercere, vt semper Deo placeant, & meritoriè in his agant, quamque periculosum sit prędicta totaliter postponere, & animum proficiẽdi, & tẽdendi in anteriora, deponere, quia contrariatur religioni. Hæc tamen exercitia spiritualia, scilicet meditatio & contemplatio & oratio, quæ non obligant omni tempore & hora, ex charitate & vtilitate proximi possunt ad tempus dimitti. Sic Moyses quandoque descendit de monte, & interrupit contemplationem & colloquium DEI. Sic & Christus vnigenitus filius DEI patris, formam nobis viuendi dare volẽs, descendit

ad pub-

ad publicum nostrum, & humanam nostram assumpsit, & nobiscum conuersatus est in terra, & quandoque montem ascendit solus orare: Quandoque descendit pro vtilitate proximorum exemplum nobis prębens, vt diligamus exercitia spiritualia, & totaliter ea non relinquamus: Sed ex charitate propter vtilitatem proximi ad tempus, quandoque ea intermittamus, & iterum ad ea reuertamur. Amor namque veritatis diligit & quærit otium: Sed necessitas charitatis suscipit iustum negotium pro vtilitate proximi. Sic sæpius propter vtilitatem proximorum in officio prædicationis & regiminis, monachi compelluntur exire de Monasterijs, & regere populum. Et tamen per hoc non omninò negligunt contemplationem. Quia ad spiritualia continuò post labores & post conciones redire debent. Sic etiam hæc spiritualia quandoque interrumpũtur ex obedientia, & monachi constituuntur procuratores ad exteriora negotia tractanda. Insuper & quãdoque

quandoque homo non est benè dispositus nec affectionatus, & tunc cessare potest à talibus exercitijs, quæ non sunt de necessitate, & expectare diuinæ gratiæ reditum. Quædam autem necessariò persoluuntur, sicut horæ Canonicæ. Et licet non sentiat homo gratiam deuotionis; adhuc tamen soluere debet. Similiter & alias orationes debitas. Et etiam peculiares orationes, scilicet in vigilijs quæ dantur ante matutinas. Quia si non sentit gratiam Contemplationis, potest legere aliquos psalmos, sicut specialiter ad hoc tempus est deputatum. Quia in psalmis omnes orationes & affectiones habentur. Et per eorum deuotam orationem peruenitur in contēplationē. Et sic deuotus monach' Carth. debet Deo gratias agere in orationibus. Debet etiā orare pro remissione peccatorum suorum, pro gratia diuina danda & augēda: Pro Domino Apostolico, pro Cardinalib', Patriarchis, Archiepiscopis, & omnib' Prælatis Ecclesiæ sanctæ, & pro toto clero,

Cartusiani pro quibus orare incumbat.

ro,& specialiter pro fratrib', & suis Prælatis. Similiter pro statu secularium,pro Imperatore; & pro alijs Regibus & principibus:ducibus & omni statu seculariũ personarum,vt custodiantur à peccatis: & ad Dei conuertantur seruitutem. Atque vt accipiant gratiam & augmentum eius,ac per eam salui fiant. Sic etiam orare debent pro infidelibus vt det eis Deus Spiritum S. vt ad veram fidem Christi conuertantur: & eam non de cætero impugnent; sed deuotè suscipiant, & per eam salui fiant. Sic etiam orare debent pro omnibus tentatis, afflictis & tribulatis,quibuscunque modis in toto mundo,& eis pie compati. Et etiam orare pro omnibus fidelibus defunctis in purgatorio detentis,vt liberentur à pœnis istis. Et his modis Carthus. in solitudine existentes, adiuuant vniuersum mũdum in orationibus suis, & etiam defunctos in purgatorio detentos. Debent etiam orare pro alijs religiosis,qui populo prędicãt & pro vniuersis verbum Dei seminãtibus,

vt ritè omnia secundum Dei voluntatem faciant; & vt Deus corda audientium aperiat: vt verbum Dei deuotè suscipiant, intelligant, conseruent, & se secundum hoc rationaliter emendent & salui fiant. Et debent Carth. sua paupertate prouocare homines ad mundi contemptum: Et sua simplicitate, humilitate & abstinentia, & alijs bonis exemplis prouocare plurimos: Et cautè respicere, ne diabolus sub specie boni ad auaritiam & ad colligendas diuitias contra eorum statuta, inducat, quia quando mentes spiritualium primo corrumpuntur in auaritia, tunc rarò sanantur. Et tunc etiam sunt rei coram Deo omnium peccatorum indè procedentium ex detractionibus & vituperijs aliorum, qui in his grauiter scandalizantur, & malè loquuntur, & excitantur ad odium contra eos, & ad plurima alia vitia & peccata.

CAPVT XII.

INsuper & ex prędictis poteris videre, quomodo Statuta nostra nō discor-

discordant à regulis Sanctorum Patrum Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci. Quæ regulæ sunt nobiliores, licet etiam sit quædam regula Pachomij, quam Angelus dicitur dictasse. Similiter noua Regula S. Brigittæ, quæ regulæ omnes tendunt ad diuinam charitatem, tanquam ad finem, & ab ea ortum habent, & quantum charitati deseruiũt, tantum seruandæ sunt: & si quandoque legis, tres regulas approbatas, intelligendum est quod tres sunt communiores, scilicet Augustini, Benedicti & Francisci. Et constat etiam quod regula nostra sit approbata per Ecclesiam, sicut specialiter de hoc scripsi tractatum. Et etiam Regula B. Brigittæ & cæteræ. Regula B. Basilij inducit ad amorem Dei & proximi, ex beneficijs à Deo perceptis, & ponit modos, quibus fratres delinquentes debent corrigi, & quomodo pacem habere debent, & ministrare in officijs sibi iniunctis. Hæc omnia etiam in nostris Statutis habemus: licet nõ eodem ordine, & eadem forma. Si-

militer in regula B. Aug. dicitur, quomodo debeant habere fratres vnum cor in Domino: & nõ dicant aliquid propriũ, sed omnia sint cõmunia. Et distribuatur vnicuiq; prout opus est, quia non æqualiter valent. Diuinum officium diligenter persoluatur: vt ꝙ cantatur ore, hoc versetur in corde. In mensa quoq; sit diuina lectio; nec habit⁹ sit notabilis. Oculi nõ iaciantur impudicè, & debet admoneri qui hæc nõ custodit. Et si negat, & postea eorũ conuictus fuerit, grauius puniatur. Et qui sciunt alios delinquere, tacere nõ debent. Vestes sint cõmunes, & alia omnia. Aegrotantiũ cura habeatur in ęgritudine & etiam postea: vestimenta & calceamenta dentur indigentibus. Nõ habeant lites. Nec sit carnalis sed spiritualis dilectio. Præposito tanq̃ patri obediatur. Et quod minus seruatũ fuerit de regula, hoc Præposito dicatur: Et vt sciant regulam, tunc semel in septimana est eis legenda. In his quodam modo pendet regula S. Aug. & vides quod hæc omnia in Statutis nostris,
licet

(licet diuersis locis)copiosè habeantur, scilicet quomodo debeant habere pacem & cor vnum, & quomodo præcipuè Visitatores de hoc debent interrogare, an pacem in domib' visitãdis habeant. Et si nõ habent quod solicitè eam procurent. Item quod nullus debeat habere proprium, & quod vnicuiq; distribuatur, vt opus est, curare debet Prior, & esse solicit' erga infirmos, & sæpius eos visitare, & cætera supposita diligenter in Statutis Ord. Carth. sunt expressa. Et quod regula S. August. legitur semel in septimana, non potuit apud nos seruari. Quia prolixa sunt statuta. Ideò maius tempus ad hoc requiritur. Concedit tamen B. August. regula balnea, quæ Ordo noster non admittit. Similiter concordat regula S. Bened. quæ primo post proemiũ de Abbate & officio eius, & ne plus curam temporalium quam spiritualium & animarũ gerat. Et dicitur Abbas Pater monachorũ, & debet esse idone' in vita & scientia, & singula benè in timore Dei expedire: In maio-

ribus causis consilium omnium requirere. Quę omnia in effectu & sententia in statutis Ord. Carth. habentur de Priore, quod debet esse idone' scientia, ætate, moribus. Et debet cōsilium requirere in magnis causis totius Cōuentus, & non nimium se occupare temporalibus, ne spiritualia omnino postponat. Et quodammodo Statuta nostra accepta sunt de regula S. Benedicti, cum qua multum concordant, prout hæc etiam habentur in Capitulo de commendatione vitæ solitariæ in fine. Sic instrumenta bonorum operum in multis locis habentur. Quomodo non debemus iurare, nec cætera mala facere. Similiter de taciturnitate & humilitate, & de multis humiliationibus in Statutis habentur. Licet gradus humilitatis de verbo ad verbum in Statutis non habeantur: Sed præsupponuntur ex institutis Patrum, & alijs scriptis. Similiter de obedientia & professione tota & de persolutione diuini officij. Quia quodammodo psalmi sumpti sunt secundum regu-
lam

iam B.Benedicti,in matutinis & alijs horis. Similiter correptionibus fratrum & correctionibus.Et quomodo incorrigibiles eijciantur de monasterijs , ficut etiam antiqua Statuta nostra dicunt. Sed hæc moderata & correcta sunt in nouis, in quibus dicitur quod debeant incarcerari , & quod fugitiui requirantur qui periculosè vagantur . Et licet regula B. Bened.post tertiam vicem non recipiat tales,tamen Papa Gregorius nonus, vti habetur in Capitulo vltimo de regularibus, ita statuit quod prælati debeant reuocare perditam ouē, ne sanguis perditorum requiratur de manu pastorum.Et ideo noua nostra Statuta secundum istam decretalem ,& Statutum Ecclesiæ statuerūt, & sic etiam in reformatis monasterijs S.Benedicti seruatur,multa enim sunt variata in statutis, sicut variat Ecclesia Statuta sua. Et quando Ecclesia aliter statuit, tunc etiam Ordo noster secundum exigentiam mutat statuta sua antiqua, & seruat Statuta Ecclesiæ. Et hoc innotescit

Capitulum generale in nouis & etiam in ordinationibus. Sicut etiam olim festum B. Matthiæ non habuit vigiliam, sed postea statutum est Ecclesię: vt in Capitulo q̃siuit de verborum significatione. Et ideo etiam nũc habet vigiliam in Ord. nostro, prout de hoc habetur Ordinatio Capituli generalis 1420. Similiter de festo B. Thomę Apost. similiter & alias Constitutiones Ecclesiæ, quæ obligant & pertinent ad religiosos, solet Capitulum gereralе intimare alijs. Sicut est illud Capitulum primum. *Ne clerici vel monachi* lib. 6. Quod excommunicat religiosos temerè habitum relinquentes. Et ideò Ordinatio Capituli generalis dicit, ꝙ tales reuertentes, primo debent indui habitu, & tunc absolui; anteq̃ ad diuina admittantur. Et multa sunt talia. Similiter multa ponuntur in regula B. Bened. de cura infirmorum, quę etiam Ordo noster seruat (carnes tamẽ nõ indulget) Et quomodo illud Statutum de prohibitione eius carnium sit rationabile, in tractatu scripsi de confirm.

Ord.

Ord. Similiter de ieiunijs, vestimentis, electionibus Abbatũ, de officijs fratrum, de laboribus & alijs multis, institutores Ord. nostri multa receperunt, prout conuenire potuerunt vitæ anachoritarum. Sic etiam concordat cum regula B. Francisci suo modo, quæ ponit post proemium formam professionis. Deinde formam receptionis fratrum cum omni puritate, de diuino officio & ieiunio, de modo laborandi, de paupertate seruanda, de pœnitentia fratribus iniungenda, de electione Ministri & Custodis, de correptione fratrum. Sic Ord. noster seruat tria substantialia, quæ ipsi profitentur: & purè recipit nouitios propter Deum. Et soluit diuinum officium suo modo: & instituit labores & electiones prælatorum & cætera huiusmodi. Non dico quod eodem modo seruet Diuina officia, electiones & huiusmodi, sicut aliæ regulæ sanctorum dicũt: Sed pariformiter suo modo sicut cõgruit vitæ anachoreticæ, qui partim in solitudine, partim in communi

viuunt societate. Et hæc, quæ in regulis Sanctorum ponũtur, latius in nostris Statutis explicantur. Hæc posui vt videas quod regula nostra seruat eundem modum, sicut aliæ regulæ Sanctorum, quæ ordinant diuinum officium, Electiones prælatorum, labores, correctiones fraternas, & similia. Hæc autem omnia restringunt cupiditatem & augent charitatem, ideò omnia charitati seruire debent.

Et si adhuc altius volueris respicere, tunc multa inuenies in Statutis nostris de Epistolis B. Augustini, Hieronymi, & scriptis aliorum doctorum Ecclesiæ de vita monachorum loquentium. Et inuenies ibi statum incipientium, proficientium, & perfectorum. Primus dicitur animalis. secundus rationalis. 3. Spiritualis. Status incipientium est in conuersione ad Deum, & circa mores componendos, & agit de pœnitentia, & de operibus pœnitentiæ. Et hæc latè in statutis habentur, scilicet quomodo Confessio debeat fieri. Et quomodo Priores debeant instruere in Cõfessione

ſione nouitios , & quomodo etiam debeant pure recipi propter Deum, & tunc de moribus animalis hominis, qui eſt circa exteriorem compoſitionem corporis. Sic namque iſta diſciplina habetur quomodo debeant ſtare , quomodo ſedere honeſtè non cancellatis pedibus , quomodo viſum tenere, quomodo moderati debet eſſe in verbis , & abſtinere à verbis vanis, & loqui de vtilibus. Sic etiam de cibis, potibus, veſtimentis non curioſis neque nimis longis: neque nimis breuibus, neque prætioſis. Sic & de modo habendi ſe in oratione. In quibus omnibus nouitius eſt informandus. Quomodo ſe in choro, in refectorio, in laboribus & omni loco ſe debet habere. Status autem proficientium qui dicitur rationalis, principaliter verſatur circa deteſtationem vitiorum, acquiſitionē virtutum, & reſiſtentiam tentationum. Hæc etiam latè in diuerſis locis Statutorum habentur. Quomodo vitia ſunt deteſtanda, emendanda, & fugienda. Et multa in ſpeciali expli- *Status proficientium.*

cantur, quæ magis communitatē reſpiciunt & proximum, vt rixæ, lites, verba mala, iuramenta ex leuitate prolata, & communiter omnia vitia & cupiditates, quæ in nobis continuo debent decreſcere, per contemptum ſeculi, & cæterarum vanitatū; & per cōſequens omnia peccata quæ ex his oriuntur. Et ſi quis vitia in ſe deteſtari & fugere negligeret, tunc compellitur accuſationibus. Ideò ſeriosè ſtatutum eſt quod debēt ſe fortiter & charitatiuè arguere in exceſſibus. Et ideò etiam fiunt proclamationes, in Capitulo propter illos qui ſe nolunt emēdare ſimplici verbo vel exhortatione. Et etiam Viſitationes fiunt propter peccata corrigenda tā in capite q̃ in membris: Vt qui timore diuino & amore Dei non deteſtantur peccata & exceſſus, ſaltē timore confuſionis & pœnarum ceſſent. Circa acquiſitionem virtutū ſolicita ſunt Statuta, quia ipſi prohibēt mala vt fiant bona. Sic exhortamur ad obedientiam, paupertatē, caſtitatē, quæ etiam tria in voto profeſſionis

nis includuntur, & ideò plus ligant quam præcepta. Similiter promisimus Conuersionem morum scilicet in melius, & per hoc crescere debemus in virtutibus, quæ omnia in vera obedientia custodiuntur. De patiētia verò quam debemus in correptionibus, & de alijs multis virtutibus, scilicet temperantiā in ieiunijs, abstinentijs & abstractionibus delectationum carnalium, & de lectione, & meditatione, oratione & alijs exercitijs spiritualibus deputatis cellitis, multa in varijs locis habētur. Similiter de resistentia omnium tentationum. Vnde prohibetur tentatio murmurationis, quæ est cōmunis in monachis. Prohibetur tentatio rebellionis, sicut quando homo tentatur ad rebellandum vel ad alia vitia, ne tūc homo sequatur tentationem, variæ pœnæ in varijs tentationibus & vitijs, si non resistitur, eis sunt statutæ: Vt sic saltē timore pœnarum restringantur, & non erumpant & frangant charitatem. Status iste omnes virtutes requirit, & omnia vitia detesta-

Status perfectorum.

testatur, & resistit omnibus tentationibus. Et post hunc sequitur status perfectorum qui consistit in cordis munditia: in diuina contemplatione, & vera charitate, & iste dicitur Spiritualis; quia homo tunc spiritualis efficitur, quando in his se bene exercet. Munditia cordis est in intellectu vero ne erret, & in affectu puro ne mala desideret. Hæc docentur in statutis, quãdo datur licentia legẽdi libros sacros, in quibus intellectus docetur, ne à veritate aberret. Sic etiam docetur intellectus per vtrumque testamentum, quod singulis annis legitur in quolibet Cõuẽtu Ord. partim in choro, partim in Refectorio, partim in loco colloquij. Affectus autem purgatur à malis concupiscentijs per sacras meditationes, per abstractionem delectationum carnalium. Et ideò omnia quæ ad asperitatem pertinent, omnia què pertinent ad vilitatem, & ad simplicitatem, & quæ auferunt curiosa, prętiosa, superflua & cætera, de quibus habetur in Statutis, purificant affe-

ctum,

ctum, & per hanc puritatem peruenitur ad bonam conſcientiam, bonam voluntatem, & ad quietem cordis quam maxime cuſtodit cella. Ad hanc puritatem multum valet quotidiana confeſſio, quæ fit quaſi omni die à celebrantibus, & valet etiam Confeſſio generalis, quæ fit ſemel in Septimana ſecundum Statuta noſtra. Quia per has Confeſſiones expurgatur homo ab omnibus impuritatibus cordis, quando fiunt ſicut debent: integrè, verè, purè, & humiliter. Sic etiam ad hanc puritatē, iuuat frequens celebratio, & communio. Quia per hanc celebrationem & ſacram communionem illuminatur intellectus, humiliatur affectus, dolentur venialia & etiam oblita mortalia, concupiſcentia carnalis minuitur, & ardor charitatis accēditur amplius. Gratia augetur & vitia debilitantur, & puritas multum per hæc proficit. Et benè faciunt Carth. ſæpius in puritate & deuotione cordis celebrando. Quia per hoc dant Deo gloriam, iuuant totam Eccleſiam, & animas in pur-

purgatorio. Per hoc insuper satisfaciunt pro peccatis suis & aliorum. Quia in mysterio Missæ passionem filij DEI offerunt DEO Patri cælesti pro se & omnibus fidelibus, & alias innumerabiles virtutes per hoc acquirunt & gratias. Qui autem non se benè ante accessum probaret & purgaret: timere multum haberet verba Apostoli,
1. Cor. 11. 29. dicentis: *Qui manducat indignè, iudiciũ* scilicet damnationis *manducat, Non diiudicans corpus Domini*, id est, ab alijs cibis. Sed accipit sicut alium cibum in peccatis sine deuotione & sine puritate cordis; Ideò grauissimè in DEVM peccant. Consistit etiam Status perfectorum, in diuina Contemplatione, ad quam Ord. Cartusien. est institutus, quia ad contemplandum. Et ad hunc finem ordinat exercitia corporalia & spiritualia. Et quomodo corporalia ad spiritualia ordinantur supratactum est. Et quomodo ista spiritualia sunt exercitia cellitarum, scilicet lectio, meditatio, ora-

oratio, quæ multum iuuant Contemplationem. Quia lectio cibum quærit, meditatio masticat, oratio saporem inquirit, contemplatio inuenit. De his in Statutis scriptum est, vti superius est allegatum. Insuper & in Statutis Ordin. impedimenta contemplationis tolluntur & adiumenta ponuntur. Impedimenta autem sunt curæ multæ, & solicitudines rerum temporalium, quæ tolluntur per Statuta, quæ posuerunt domibus & Conuentibus numerum & taxam. Statuerunt enim quod non debeat recipi monasterium nouum, nisi prius prouisum sit sufficienter, vt possit sustentare duodecim monachos cum Priore, & etiam alias certas personas. Et hoc ideò, ne per curas diuagari compellantur, & in contemplatione impediantur. Item numerus ouium describitur & alia multa in mensura habent, ne vagari incipiant post auaritiam cordis sui. Quæ vagatio & cura atque solicitudo contraria valde est Carthusien. & vitæ

Impedimenta Contemplationis quæ sunt.

vitæ Contemplatiuæ, quæ requirit quietem, & silentium solitudinis. Sic etiam impedit cordis immunditia, quæ per pœnitentiam veram eijcitur. Et omnia adiumenta Cõtemplationis acceptantur per Ord. Carth.

CAPVT XIII.

Septem adiumẽta contemplationis. 1.

PОrrò adiumenta contemplationis reduci possunt ad septem, quorum primum est actio vitæ actiuæ, quæ consistit in emendatione propriæ vitæ, in pœnitẽtia & expurgatione vitiorum, acquisitione virtutum, & exercitatione operum misericordiæ. Quia per hæc cõscientia purificatur, & ad veram Contemplationem habilitatur anima. Vnde B. Gregorius dicit: Qui arcem Cõtemplationis ascendere desiderat, prius in campo actionis se probet. Quia per virtutes morales & opera misericordiæ ac resistentias tentationum passiones & vitia domantur, quæ multum impediunt contemplationem. Et ideò quando anima sic exercitatur in patienta vera, & contem-

pta

ptu rerum temporalium, & domatu prauorum desideriorum, tunc ad Cõtemplationem optimè disponitur. Hæc omnia in Ord. Carth. habentur. *Secundum* est solitudo. Vnde Dominus per Osee Prophetam dicit: *Ducã eam in solitudinem : & ibi loquar ad cor eius.* Quia solitudo cellæ facit, vt homo non erubescat alios in exercitando se ad deuotionem per extensionem manuum, & eleuationem oculorum ad cœlum vel Crucifixum. Neque impeditur homo in solitudine à baptismo lachrymarum sicut in communitate. Et etiam delicatus est Sponsus, quia non vult conuersari publicè cum Sponsa, sed in occulto. Vnde & huiusmodi solitudine quilibet se habere honestissimè in omnibus. Quia in conspectu Dei & Sanctorum angelorum versatur. *Tertiũ* est humilitas, quia non audent Deum contemplari omnes qui videntur sibi sapientes, id est Superbi, qui sunt Sapientes in oculis suis, sed soli humiles. Vnde Dominus per Prophetam. *Super quem requiescam nisi super humi-*

2. Ose. 2. 14.

3.

Es. 66. 2.

humilem & quietum &c. Et Christus
Matth. 11. 25. in Euang. *Confiteor tibi Pater, DEVS cæli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus: & reuelasti ea paruulis*, id est humilibus. Hæc humilitas docetur in Ord. Carth. per opera humiliationis & vtilitatis, per quæ humiliatur homo. Et omnia quæ in Statutis habentur, & pertinent ad vtilitatem & attritionem, deseruiunt humiliationi & & humilitati: vt per hæc homo humilietur, & ad diuinam Contemplationem idoneus efficiatur.
4. *Quartum* est cordis munditia de qua Christus dicit:
Matt. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt*. De ista munditia acquirenda multa habentur in Statutis. Ad eam namque acquirendam valet multum Confessio frequens, per quam omnes immunditiæ & impuritates de corde eijciuntur; per quam hoc modo cor purificatur. Similiter valet lectio sacra & meditatio & similia exercitia, per quæ anima illuminatur, purgatur, sanctisque desiderijs in-

flam-

flammatur. *Quintum* est Charitas. Qui enim se ad Contemplationem transfert, prius debet cogitare & pōderare quantum amet. Quoniam amor inflammat desiderium vt sursum feratur ad Deum. Et licet iste amor præsupponatur à Statutis nostris, sicut etiā à regulis Sanctorum, & Statutis Ecclesiæ, quæ omnia ex isto amore procedunt, & ad eum augendum disponunt; attamen sæpius etiam in Statutis exprimitur. Sicut etiam in Statutis Sanctorum Patrum. Vnde in Statutis habemus quod mutuò & charitatiuè repræhendere nos debemus & emendare. Item quod debemus DEVM præ oculis habere, ne offendamus: quæ omnia ad charitatem pertinent. Similiter diminutio cupiditatis multum valet ad augendam diuinam Charitatem. *Sextum* est mentis stabilitas, vt videlicet abstrahatur ab omnibus corruptibilibus temporalibus & transitorijs bonis; vt ea non amet inordinatè. Et sic tandem ad seipsam reuertatur: & ad

& ad suiipsius quietem tendat. Et se ipsum in seipso diligenter conside-ret, & per hoc ascēdere sursum que-at. Quia iste ascensus ad Contempla-tionem fit intus in anima. Per nostra autem Statuta retrahitur ab amore & solicitudine rerum temporalium. Nam omnia quodammodo perti-nent ad vtilitatem & attritionem; vt animus in his non delectetur: nec su-perfluè occupetur, sed potius in isto sancto proposito stabiliatur per ac-quisitionem sanctarum virtutum.

7. *Septimum* est lectio & meditatio quæ animum illuminant, & eam dis-currere per creaturas faciunt; & sic in Deum ascensum parant: vt per creaturas ascendatur ad creatorem: eò quod à Creatore omnium proces-serunt, & ab eo pendent. Hoc autem anima considerat: & sursum tendit ad Deum, à quo omnia processerunt, & continuò istum ascensum in cor-de desiderare debet, & propter hoc cor purificare; & labores corporales & spirituales facere, & in suo labo-re non fatigari. Sed scire, quod lon-

gani-

ganimitas expectationis & patiētiæ, animam purget, & tandem ad optatum peruenire finem faciat. Vndè & considerare debet labores & studia militum, agricolarum, negotiatorū, aliorumque in seculo qui infatigabiles & magnos labores pro rebus caducis & transitorijs facientium. Multò autem plus pro æternis & pro contemplatione æternorum & verorum bonorum erit laborandum. Et si non potest in hac vita ad summum gradum peruenire, sufficit si fecit id quod in eo fuit: & ex hoc firmiter credat, quod à Deo dispensatiuè subtrahatur, ne fortè fieret sibi occasio maioris mali, & quando sic piè perseuerat, sine dubio quod hic in vita sic dispensatiuè subtrahitur & negatur, hoc post istā vitam benignè conceditur: scilicet vt rapiatur ad æterna & vera bona contemplanda in cęlo. Nam hoc meretur spiritualibus & etiam corporalibus exercitijs, quę ex charitate fiunt: Ideò semper merita annexa habent pro quibus æterna dabuntur præmia. Et vt homo ma-

gis aptus & dispositus sit ad spiritualia; valde necessarium est, vt sit moderatus in cibo & potu alijsq; necessarijs: & vt continuè statum sui cordis diligenter consideret, & initium affectionum, & quomodo debeant rectificari, vt seruiãt charitati & cõtemplationi, per quam augetur charitas. Et quando bonus Carth. in his facit diligentiã, tũc vtiq; Deus se negare nequaquã potest, sed ei per gratiam adiutricẽ assistit, & ei cooperatur ad omne bonũ, & ad spiritualem profectũ, & multũ in spirituali vita proficere facit. Infundit enim sibi saporem cęlestium bonorũ, dulcedinẽ sanctæ & puræ conscientię, & plurima taliaquæ tunc homo deuotus in se experitur. In fide nãq; roboratur: In spe fortificatur: In charitate crescit de die in diem, per abiectionem cõtrariorũ, in fortitudine sancta, in temperantia vera, in prudentia super omnia: vt sciat Deo reuelante & docente, quid acceptum sit coram Deo omni tempore. Et etiam in vera iustitia, ac alijs virtutibus, & sic Do-

mino virtutum placere poteſt in vita præſenti & futura.

CAPVT XIV.

INſuper per hæc exercitia caritatiua & humilia peruenit bon⁹ & deuotus religioſus ad illuminationem mentis, & occultorũ penetrationem; vt mẽte deuota poſſit occulta in ſcripturis diuinis penetrare, & interiorem dulcedinẽ, quæ intùs latet, ſuauiter deguſtare. Et ſic vtique conſolationem accipit magnam à Deo, & etiam magnam fiduciam de æterna ſalute, & multa per experientiam diſcit, quæ in libris legẽdo pri⁹ non intellexit. Et his etiã modis ſenſus ſpirituales ei dantur; vt viſus ſit ſpiritualis, & ad Deum tendat & ei⁹ pulchritudinem intueatur & dicat: *Ecce quàm pulcher es dilecte mi & decorus*. Iſte viſus eſt intelligentia, quam Chriſtus confert, quia poſt Reſurrectionem aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Sic & hodie facit humilibus & piè deſiderantibus. Mali autem & *Can.1.16.*

peruersi hunc visum nō habent: ideò
Psa.113.5. de eis scriptum est, *Oculos habent & non vidēt.* Auditus spiritualis est quo auditur verbum Dei intus in corde
Psal.84. deuoto; de quo psalmista dicit: *Audiā*
90. *quid loquatur in me Dominus DEVS, quoniam loquitur pacē in plebem suā.* Et Samuel auditum spiritualem desi-
1.Re.3.9. derauit, quando dixit: *Loquere Domine; quia audit seruus tuus.* Loquitur Deus quando animæ immittit sancta desideria, feruorem & desiderium virtutum, & detestationem vitiorū. Nam omnia ista & similia pertinent ad auditum spiritualem; quia intus audiuntur hoc modo verba Dei. Mali autem sic audire nolunt, de quibus
Psa.113.5. dicitur in psalmo. *Aures habent & nō audiunt.* Christus autem ad istum auditum interiorem quo eius verba in silentio audiuntur, exhortatur quando dicit: *qui habet aures audiendi au-*
Matth.11. *diat.* Gustus autem spiritualis est in
15. anima, quæ habet sua labia & suam linguā spiritualiter quib' loquitur: Et etiam quibus interior & spiritualis dulcedo gustatur. Vnde ad hunc

gustum

gustum exhortatur Dominus per Psalmistam, dicens. *Gustate & vide-te, quã suauis est Dominus*. Sed vt percipiat hanc suauitatem, debet palatũ cordis purgare & præparare, hoc est malos humores & viscositatem malitiæ ab animo remouere. Videmus enim quod gustum corporalem impedit infirmitas linguæ, quæ ex febre & alijs infirmitatibus causatur: quia infirmitas corporis sæpius linguam inficit, vt nec boni & delicati cibi sapiant, sicut docet experientia. Sic etiam spiritualem gustum impedit infirmitas spiritualis, quæ est mala cõcupiscentia: quam cùm gustat anima, & delectatur in ea, impeditur in spirituali profectu & gustu. Et quia homo naturaliter quodammodo appetit dulcia & saporosa: Ideo deberet credere Deo per Psalmistam dicentem. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus*. Et appetere vtique istam veram & sanctam suauitatem, vt in ea cõtinuè cresceret, & eam degustaret, seque ad ipsam debitè præpararet. Tactus etiam spiritualis in

Psa. 33. 9.

anima eſt, quo Chriſtus tangitur ſpirituali modo, ſcilicet per fidẽ & deſiderium, quod in Chriſtum tendit.
Matt 9. Vnde Chriſtus dicit: *Tetigit me aliquis*: quando tantum turbæ cum exterius tangebant & comprimebāt: ſed fuit quidā tactꝰ interior & ſpiritualis, ſcilicet per fidem & deſideriū quo quædā anima ferebatur in Chriſtum; & ſic ſpiritualiter tetigit. Iſte etiam tactus eſt in charitate & cōtēplatione, quando anima deuota tāgit Chriſtū & amplexatur ac firmiter tenet nè ab ea recedat. Porro O-
2. Cor. 2. doratus ſpiritualis eſt in ſpiritualibꝰ
14. ſicut Apoſtolꝰ dicit: *Odor Chriſti bonus ſumꝰ Deo in omni loco.* Iſte odoratꝰ ſentit & percipit ſpiritualia, & in odorem vnguentorum Sāctorū currit ad Deum. Quoniam fama bona eam delectat, & ideo percipere nititur, an etiam ſit veritas, ſicut fama clamat. Hos autem prædictos ſenſus ſpirituales quilibet bonus Carth. purificare debet & acquirere & in exercitijs ſpiritualibꝰ habere: Quia iuuāt multum ad Contemplationem: & etiam
per

per contemplationem & charitatem augentur: & ducunt in multorū notitiam.

CAPVT XV.

HIc etiam nunc confiderandū eſt, quod Status perfectorum conſiſtit in charitate, ad quā omnia ordināitur, quę in Statutis habentur. Et omnia exercitia corporalia & ſpiritualia huic charitati debēt deſeruire, & ex ea procedere, vt ſint meritoria; quia ſine charitate nullū opus eſt bonū, neq; placet Deo. Sic etiam ad charitatem debent tendere, vt eā augeant. Omnia namque opera bona diſponunt ad augmentum charitatis. Hæc autem charitas non debet eſſe carnalis, ſecundum carnis delitias, neque ſecundum originem carnis, aut ſecundum temporale commodum, neque etiam naturalis tantùm, ſed ſpiritualis, vt à Spiritu diuino procedat: vt ad Spiritum diuinū animū reducat, & Deū ſyncerè, purè & ſanctè diligat. Hæc charitas ad perfectionem pertinet, quia Deum ſuper omnia diligit, & nihil

Deo præponit: Mala deteſtatur: quia de præteritis dolet, præſentia cauet, & de futuris ſolicita eſt ne ea committat, ſed diligit Deum ſuper aurũ & topaziõ, quia ſuper omnia. Et hæc charitas nihilominus habet gradus, quia alia eſt inchoans, alia perficiẽs, alia perfecta. Inchoans cognoſcitur per deteſtationem vitiorum mortalium. Quia ſimul non poſſunt ſtare cum charitate. Similiter bonum propoſitum faciendi voluntatem Dei in omnibus. Quia quando homo ſentit hoc propoſitum, tunc ſperare habet ſe eſſe in charitate Dei: quia amicus libenter operatur propter amicum, & proponit ei ſemper placere. Similiter auditio verbi Dei deuota, ad hanc pertinet charitatem, quia amicus libenter audit bona de amico. Similiter promptitudo bonorum operum hanc oſtendit & indicat caritatem. Quia amor non poteſt eſſe otioſus; ſed quando adeſt, magna operatur. Similiter gaudere de bonis aliorum & compati infirmitatibus eorum: quia charitas facit gaudere cum gau-

Diuerſi charitatis gradus.

gaudentibus, flere cum flentibus. *Caritas non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati.* Proficiens autem charitas habet hæc signa per quę cognoscitur, scilicet diligens examinatio propriæ conscientiæ. Quia in hoc proficit caritas. Nam quando Spiritus S. animam mouet per charitatem, tunc certè rationem illuminat, voluntatem inflammat, rubiginē omnem peccatorum tollit, venialia minuit; & si quid est quod mentem inficit, citissimè tollit. Similiter ex diminutione cupiditatis hæc charitas cognoscitur, quia venenum charitatis est cupiditas: & quantum cupiditas crescit, tantum charitas decrescit, & est signum verissimū, quod si vera charitas augetur & proficit. Similiter ex custoditioni diligēti mādatorum Dei. Dicit namq; Christus: *qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Vnde qui sentit in se, promptitudinem implendi mandata Dei, spem habeat quod in se Diuina charitas crescit & augetur. Similiter hic profectus cognoscitur per reuelationē

1. Cor. 13. 6.

Venenum charitatis est cupiditas.

Ioan. 14. 23.

diuinarum veritatum : quando anima in ſpiritualibus ſenſibus proficit, quia amicus conſueuit amico reuelare ſecreta ſua. Signa autẽ perfectæ charitatis ſunt : Si quis à minutiſſimis peccatis diligẽter ſe cuſtodit, & de bonis operibus nihil negligit. Similiter, ſi quis diligit inimicos, & dulcem affectum habet ad odientes ſe. Virtus namque ad magna & ardua ſe extendit. Magnum eſt autem & arduum inimicos diligere, & pertinet ad perfectos. Vnde Chriſtus dicit : *Diligite inimicos veſtros. Benè facite his qui oderunt vos, vt ſitis perfecti.* Similiter, gaudere in aduerſis & tribulationibus, pertinet ad perfectionem caritatis, ſicut Apoſtoli gaudentes ibant à conſpectu Concilij : quia digni habiti fuerunt pro Chriſto cõtumeliã pati. Amicus libenter patitur pro magno & ſingulari amico, quẽ multum diligit, & in huiuſmodi paſſione amorẽ oſtendit; eo quod propter aduerſa ab eo non recedit. Similiter hæc charitas oſtẽditur ex contemptu omniũ temporalium,

Perfectæ charitatis ſigna.

Matth. 5. 44.

Act. 5. 41.

liũ, quando ſcilicet omnia reputãtur vt ſtercora. Cognoſcitur etiam hæc charitas ex diminutione timoris: quia *perfecta charitas foras mittit timorẽ*, & parata eſt mori pro dilecto ſuo. Sunt adhuc alia ſigna intrinſeca, per quę cognoſcitur vera & perfecta charitas, & sũt intima, alta, & ꝓfunda deſideria, quibus anima Deũ deſiderat. Similiter cogitationes & affectiones tædioſæ, quãdo videlicet anima habet tædiũ de expectatione. Similiter extaticæ affectiones, quæ ſurſum animũ ferunt: vt fiat vnũ ipſum amatum & amans, vt dicat amans: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

1. Ioan. 4. 18.

Galat. 2. 20.

CAPVT XVI.

POnuntur etiam alio modo gradus charitatis perfectæ ſic. *Vt primus* gradus ſit incõparabilis ſic quod nulla res comparetur amori perfecto. Et ſic diligit Deum, pluſquam patrẽ, matrem, & omnia alia. Qui autem plus diligit patrem, matrem & cætera quàm Deum, non eſt Deo dignus.

Alij perfectæ charitatis gradus.

2. *Secundus* gradus est amor incontaminabilis: & est in illis qui omnes concupiscentias carnis fugiũt, & soli charitati purè & sincerè intẽdunt. Et hic debet esse in religiosis, qui omnia quæ mundi sunt dimittere debent, & charitati diuinæ intendere. *Qui autem diligit mundum &*
1. Ioan. 2. *quæ in eo sunt, non est charitas patris*
15. *in eo.*

3. *Tertius* gradus dicitur infatigabilis, quia non fatigatur, sed fideliter quærit donec inueniat. Vnde in Canticis dicit. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.

4. *Quartus* dicitur inseparabilis, & est Contemplantium, qui charitate tendunt ad contemplandum: & in contemplatione augetur eorum charitas, vt fiat inseparabilis, id est
Can. 3. 4. nolentes à Sponso separari, sed dicunt: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*. Et Aposto-
Rom. 8. lus dicit: *quis nos separabit à charita-*
35. *te Christi.*

5. *Quintus* dicitur insuperabilis, & fuit in Sanctis martyribus: qui nulla poena

pœna vel tribulatione potuerunt ſuperari. Sed charitas eorum omnia tormenta ſuperauit, & fortiter calcauit ac deriſit.

6. *Sextus* gradus eſt amor iugiter ſitientium, & eſt eorum qui ſemper in mente dicũt. *Sitiuit anima mea ad DEVM fontem viuum.* Psa. 41. 8. Ad hanc charitatem homo peruenit, quando frequenter beneficia Dei perpẽdit, quomodo omnia propter hominem creauit. Quomodo propter hominẽ miſeriam noſtram Deus aſſumpſit, paſſus & mortuus propter hominem, vt eum à morte æterna liberaret. His & cæteris beneficijs diligenter cõſideratis, & quod homo ſine Deo nihil poteſt: & quod Deus hominem illuminat, confortat, & ſtabilit. Mẽs humana cõfricatur, & ad amorem Dei accẽditur. Hæc charitas gratiam annexam habet: quia nunquam ſtat gratia gratuita ſine charitate, nec charitas ſine tali gratia. Et ideò aliqui dixerunt, quod vnum & idẽ in re eſſet gratia & charitas, ſed melius dicitur quod differunt. Quia ſicut virtutes

naturales & morales procedunt à lumine rationis naturalis, sic virtutes infusæ: vt est charitas; & aliæ virtutes procedunt à lumine diuinæ gratiæ, quæ est lux diuinam participans lucem. De qua Apostolus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et iterum. *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, patientia, longanimitas,* & cæteri fructus, & omnes virtutes de Spiritus S. gratia procedunt tanquam à radice, & hominem liberant à peccatis, & faciũt hominem Deo gratum, & amicum. Ramificatur gratia DEI nũc in præcepta DEI, quæ de ea procedunt: nunc in dona, nunc in virtutes, nunc in beatitudines, nunc in fructus: quæ omnia à diuina gratia procedunt. Inter omnes autẽ virtutes charitas est pretiosior meliorq́;, qua DEVS proximusq; diligitur. In qua est etiã perfectio humanæ vitæ. Omnia autem, quæ hanc charitatem impediũt, valdè vitare & fugere debemus, & omnia quæ eam iuuant & instruũt, diligẽter acceptare. Et quã-

Ephe 5. 8.
Galat. 5. 22.

do sur-

do ſurgimus & quando dormire volumus, aut aliud quodcunq; opus facere, hanc charitatem debemus in mentem habere, vt nõ lædatur. Nullum in nobis reſideat odium, nulla ſuperbia; nec aliud vitium: quod hanc virtutem, in qua eſt vita noſtra, lædat. Sed continuè in ea proficere debemus, vt ſic etiam ex conſequenti oẽs aliæ virtutes, quæ in ea continentur, in nobis propagẽtur. Creſcit autẽ per opera bona, & per diminutionẽ cupiditatis & quando multũ creuit, tũc efficitur violẽta; vt videlicet charitas violenter tendat in amatũ, & ipſum vulneret, & eius interiora penetret ſicut ſagitta, & dicat: *Vulneraſti cor meum Spõſa*. Sed & ipſa anima vulneratur è contrario in tali amore: vt fluant ex ea continuè amoroſæ & ſanguineæ affectiones, vt dicat: *Vulnerata charitate ego ſum*. Felix anima quæ ſic vulneratur à DEO Sagitta amoris. Et poſt hoc anima ligatur ad DEVM; vt aliud cogitare vel amare non permittatur niſi DEVM. Cant. 4. b.

DEVS

DEVS namque animam ad se trahit & ligat. Vnde per Prophetam dicit.
Osee 11. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Funes sunt munera DEI; vincula verò eius beneficia. His duobus trahitur anima sursum ad DEVM, & cum eo ligatur, & tunc anima in amore languet, & prę nimio amore à se deficit, & nihil aliud quã DEVM sapit, qui est ei esse, viuere, & sapere. In his & consimilibus exercitijs, debent se cellitæ exercere, & facere diligentiam, vt de charitate viæ veniant ad charitatem patriæ, quam vtrunque pro posse in hac vita debent intueri, & niti vt possint eam imitari. Angeli namque in cælo diligunt incessanter, quia non cessant ab amore: Sic etiam nec homo debet cessare; & si non semper actu vt Angeli potest diligere, tamen habitu: Quia habitum charitatis debet retinere, & nequaquam per peccatum mortale amittere. Sic etiam virtualiter debet in amore perseuerare. Hoc fit quando contrarios actus charitati non admittit. Sic ista cœlestium spiri-

ſpirituum charitas eſt ſemper mobilis: quia continuò actu amoris mouetur in DEVM, & eſt calida, quia viuificè ex calore mouetur. Et eſt acuta vt penetret ſecreta DEI. Et eſt ſuper feruida, vt amantem leuet ad amatum.

CAPVT XVII.

PORrò ad hæc imitanda præparanda ſunt corda noſtra per cõtinuum exercitium bonorum operum, quæ ſemper diſponunt ad augmentum charitatis. Hic namque etſi eſt finis vltimus omnis rationalis creaturæ, & finis omnium religionum & ſtatuum, tamen ſingulæ religiones habent certos & proprios fines, ad iſtum vltimum finem ordinatos, quos intendere debent & feruenter perſequi. Finis autem Carth. Ord. eſt Contemplatio, & cordis puritas, quæ ad contemplationem cũ alijs exercitijs corporalibus & ſpiritualibus ordinatur. Et contemplatio quæ immediatè circa DEVM verſatur, eſt finis. Et iſte finis propinquat vlti-

vltimo fini,ſcilicet charitati, quæ valde in cõtemplatione augetur, & etiam auget Cõtemplationẽ. Itaque in his fortè vtcunq; ſatisfactũ eſt deſiderio tuo,& ad hęc verba quę mihi propoſuiſti,applicari poſſũt,quæ fuerunt illa: *Vacate & videte, quoniam ego ſum DEVS.* Vidiſti quomodo ſit vacandum ab omnibus concupiſcentijs & cupiditatibus malis, & breuiter multa concludendo, ab omnibus peccatis & curis ac alijs impedimẽtis contemplationis, quæ per ſtatuta Ord.Carth. diligenter amputantur, quando benè intelliguntur & obſeruantur. Vacate itaque à malis & ab omnibus impedimentis,& quieſcite ab illicitis, & vacui eſtote à peccatis. Et etiam vacate inhærendo per diligentiam ſacræ lectioni, meditationi, orationi & cæteris exercitijs ſpiritualibus, quæ in cellis debent ſeruari : ſine quibus ſolitudo cellæ parum aut nihil prodeſt : Immò plurimum nocet, quando homo non intendit exercitijs ſpiritualibus. Quia tunc neceſſe eſt,vt intendas

Pſal. 45.

das

dat concupiſcentijs malis, vitijs præcipuè ſpiritualibus: quæ ſunt amor proprius, odium, rancor, malitia cordis, inquietudo mentis & ſimilia. Vacate itaque & inſiſtite exercitijs bonis tam corporalibus quam ſpiritualibus: & conſiderate quomodo corporalia ordinantur ad ſpiritualia: & quomodo ſpiritualia præferuntur corporalibus. Et quomodo ſpiritualia exercitia principaliter intexta, & quodammodo ſunt de eſſentia Carthuſ. & ſine eis non poteſt benè ſtare nomen Carth. in aliquo: quia eſſet homo talis ſine ſua propria operatione. Vacate ergo diligenter & ſurſum tendite, & videte mente, quia ego ſum DEVS. Hoc enim inuenietis in ſancta contemplatione: ad quam diſponunt exercitia corporalia & ſpiritualia ſæpius dicta. Videte ibi, quod ego creator ſum & gubernator omnium. Et intelligite, quod omnia à me procedunt, & in me tendunt atque aſſimilari mihi pro ſua poſſibilitate volunt. Videte

dic

dico mundis oculis; oculis inquam interioribus, oculis spiritualibus quia ego sum DEVS. DEVS autẽ spiritus est, & ideo qui volunt eum videre, in spiritu debent eum videre. Nemo vnquam vidit DEVM oculis carnis, nec potest Deitas videri oculis corporalibus, quia proportio debet esse inter visum & videntem, Visum corporale extensum & quantũ potest videri à vidente corporali & corporalibus oculis. Sed visum spiritualem seu res spirituales non sic, quia non est extensa nec quanta. Videte mundis oculis: quia beati mundo corde quoniam ipsi DEVM videbunt. Mundate oculos cordis prædictis modis, & tunc me videbitis & cognoscetis, quæ nunc si le creditis. Et spem appræhendendi accipietis, atque charitatem maiorem cum cæteris vniuersis virtutibus, quæ in sancta Contemplatione augentur. Et tunc etiam videbitis quod exaltabor in gentibus & in terra. Quia videbitis me Dominum vniuersorum: & quod omnia in comparatione mei

sunt

ſunt nullius momenti. *Omnes enim* Eſa. 40.
gentes quaſi nõ ſint, ſic ſunt coram me, 71.
& quaſi nihil & inane reputatæ ſunt
mihi. Et etiam exaltabor in gentibus, id eſt in cogitationibus & affectionibus mentis, quæ in corde habitant, tanquam gentes in terra. In iſtis exaltabor & leuabo eas ſurſum, & in terra cordis humani exaltabor vt me videat & diligat &c.

CAPVT XVIII.

INſuper & in ſcripto tuo, dilecte mi, facis quandam comparationẽ, & quandam extollentiam Carth. Ordin. ſuper cæteras religiones. Et ſcribis ſic: *In quibus conſiſtat perfectio vitæ Carth. ſuper cæteras Religiones:* per hoc innuens, quod ſit cæteris religionibus perfectior. Ego autem ſuperius iſtam comparationẽ omiſi, & ſimpliciter poſui in quo cõſiſtat perfectio Ord. Carth. & quæ ſint exercitia cellitarum, ſine quibus Solitudo parum valet. Ego enim non libenter præfero Ordinem noſtrum cæteris Ordinibus. Quia tales comparationes ſunt odioſæ, vt dicit lex

ciui-

ciuilis. Nam in hoc quod vult quilibet suũ Statum & Ord. omnibus alijs preferre, videtur superbire sup alios se & suũ Ord. extollendo. Mox autẽ vt superbia innotescit, ab omnib' oditur: eò ꝗ vult super alios excellere, & singulariter videri. Et ex hoc etiã videtur Status aliorũ minuere. Quilibet autẽ libẽter se defendit, & supprimi se non patitur, sed pro posse resistit. Ideò ego sic dicerem, quod oẽs Ordines & Religiones per Sanctam Ecclesiam approbati, sunt sãcti & à DEO: Et variæ sunt Religiones ex diuina institutione: vt sic astet
Psal. 44. 10. Regina, id est, Sancta Ecclesia à dextris DEI in vestitu deaurato, id est, in aurea charitate, circundata varietate, scilicet Ordinum & Religionum. Qui sua varietate inducunt varia & multam pulchritudinem. Quæ varietas pulchra est in vna Ecclesia & in vna charitate. Quia in vestitu nuptiali talis varietas consistit. Et ideò consequenter dicerem, quod vtraque formosa, quia formosa & pulchra est omnis Religio

gio, quæ ordinatur ad opera vitæ a-ctiuæ. Similiter formoſa & pulchra eſt omnis Religio, quæ ordinatur ad opera vitæ Contemplatiuæ. Et in his ponerem finem diſputationis ſine alicuius derogatione. Et admonerem, vt quilibet ad hoc tenderet, vt Religionem quam eſſet profeſſus, ſtudioſè impleret in eſſentialibus & accidentalibus, & omnia ex charitate faceret, & opera ſua ad charitatem ſynceram ordinaret ſtudioſiſſimè. Et ſine dubio taliter perſeuerando ſaluus fieret. Et in ſua Religione alteri ſe ſubijceret cogitando & perpendendo negligentias ac defectus & declinationem ſuæ religionis, quando videlicet à prima inſtitutione & à feruore profectus ſpiritualis deficeret: & de alijs Religionib' meliora cogitaret: niſi certa manifeſta mala & tranſgreſſiones ſubſtantialium & accidentalium cerneret.

Nec tũc adhuc deſpare debet de eorũ reformatione, nec ſe eis p̃ferre, q̃a finem ignorat, & quid DEVS facere velit,

velit, nescit. Huiusmodi tamen mala Cato non debet credere: neque iudicare, & tunc Deo committere quæ sit perfectior & melior: quia DEVS est ponderator Spirituum, & nouit omnia. Et ad seipsum debet quilibet conuerti & dicere. *Hanc sacram religionem elegisti: ideò in ea perseuera; & stude esse talis, vt dignus inueniaris.* Sunt autem variæ religiones institutæ etiam ideò à DEO (qui omnium est author) vt quilibet conuerti ad religionem intendens, eligit vnam secundum suam cõplexionem, proprietatem & conditionem. Nam vbi viderit naturalia sua plus inclinari, ibi cum gratia DEI sæpius plus proficit, & purius conuersatur. Sic illi qui sunt naturaliter inclinati ad solitudinem, qui libenter sunt soli & amant studia lectionum, meditationes, orationes & similia: neque libenter occupãt se in exterioribus, isti efficiuntur boni Carthusiani. Et si huiusmodi ad alias religiones trãseunt, vbi communiter simul cõuersantur, & varijs occcupantur: tristi-

tiam

etiam continuè quodam modo habebunt, & intranea bella q̄ non ab omnibus semper vincuntur. Sic è contratrio alij sunt inclinati ad conuersandum cum hominibus, & ad opera communitatis & consolantur de mutuis colloquijs & sociali conuersatione: quando autem sunt soli, tūc contristantur, & malis cogitationibus implentur. Isti melius transeunt ad religiones institutas ad opera vitæ actiuæ. Quæ adhuc sunt multiplices: quia quædam ordinantur ad opera vitæ actiuæ, quæ de plenitudine Contemplationis procedunt, vt sunt Religiones institutæ ad prædicandū. Aliæ ad alia opera vitæ actiuæ, scilicet ad colligendum hospites, & lauandos eorum pedes. Alij ad militādum inclinati sunt & quilibet secūdum suam inclinationem potest eligere Religionē, & benè facit si prædicta in timore Dei obseruat. Si tamē aliqui ad Ord. venirent Carth. quibus grauis esset solitudo, certè isti essent iuuandi, vt quandoque alios visitarent ad cellas: aut visitarentur

ab alijs: aut ad officia aliqua ponerẽtur: in quibus occupationes haberẽt; & in charitate Deo, isto modo deseruirent. Hæc autem Prior sagaciter & diligenter considerare debet, vt vnicuiq; secundum suam propriam proprietatẽ & conditionem prouideat quantũ valet. Ne aliqui sic in solitudine fiant phantastici, & nè boni Solitarij citò de cella educantur sine magna causa vel necessitate. Sic etiã prælati aliarum religionum prouidere debẽt suis subditis, vnicuiq; secundum conditionẽ & proprietatẽ suã quantum possunt; Vt inclinati ad solitudinẽ occupentur in charitate diuina, in spiritualib⁹ exercitijs, orationibus, meditationib⁹ &c. & sic talẽtum à Deo eis cõcessum expendãt. Similiter eos qui inclinati sũt ad labores & occupationes ꝙ quãtum fieri potest ad officia ponãtur. Dũmodo sint honesti & ædificatorij in verbis & factis. Vt sic opera exteriora ex charitate & in charitate faciant, alijsque taliter seruiant & tædium sui cordis tollant, variaque phantas-

mata & pericula euadant. Qui autem non habent bonos & religiosos mores ad ædificandum alios, non ponantur ad officia exteriora: quia per illos Religio confunderetur, & vilesceret: Sed aliter prouidendum esset eis. Hæc autem debet diligentissimè Prælatus attendere, & scire quod pro singulis rationem redditurus est DEO. Ideò etiam singulos adhortari debet publicè & priuatim, & dirigere ad ea quæ sunt salutis. Nunc minando; nunc increpando; nūc laudando; nunc etiā disciplinas dando, nunc parcēdo. Hæc omnia nouit charitas, ex qua omnia fieri debēt. Et debet attēdere prælatus, vt vita suorum subditorum corrigatur. Et hic etiam spiritualia plus quā temporalia attēdere debet, & in lectionibus & sacris meditationibus haurire ea quæ sunt vtilia: Non solum superior sed etiā alij officiales, vt sunt Procuratores, de quibus boc statutum est in Ordin. Carthus. quod ad solitudinem cellæ debent refugere ab exterioribus occupationibus; & in spiritualibus se

exercere,vt de plenitudine deuotionis valeant conuersis laicis suauiter eructare. Qui tantò plus indigent exhortationibus,quantò minus literas norunt. Si autem Procurator hoc negligeret, de officio suo esset deponẽdus.

CAPVT XIX.

ET licet hæc sufficere possent, tamen adhuc plenius tuo volẽs desiderio facere satis, aggrediar in timore Dei odiosam comparationem,qua vna religio alteri se prę fert: & vnus status alteri: Prælati nãque sęculares, se dicunt perfectiores Religiosis, eò quod habent zelum animarum,quo nihil beatius secundũ B. Gregorium & etiam secũdum Augustinum. Tunc in hac vita nihil melius officio Sacerdotis officium suũ ritè exequentis: & dicunt isti quòd de religione compellantur ad curã animarum ascendere, tanquam ad perfectius. Sed de cura non fit transitus ad Religionem nisi quando est inutilis in cura. Sic dicit Hieronymus

mus contra Vigilantium hæreticum quod infirmi qui resistere in seculo non possunt vitijs; Nec alijs præesse nec prodesse, debent eligere religionem, in qua sint sine talibus pugnis. Sed ad hoc respondēt religiosi, quod Status eorum non est perfectus, eo quod non vouent ea, quę sunt & promouēt ad perfectionem, vt sunt paupertas &c. Et hæc cōtentio est etiam inter religiones mutuo. Quia Prædicatores dicunt, quod sint perfectiores alijs, eò quod eorum Religio sit ordinata ad actus vitæ actiuæ, scilicet docere. Qui actus de plenitudine Contemplationis descendit. Et sic habent purgare & illuminare. Sed hæc soluuntur quando eis respondetur, quod eorum prædicatio potius ex studio fluit, quam ex contemplatione. Quia in libris student: & memoriæ commendant, ac postea populo prædicant, & non de plenitudine contemplationis vel de reuelatione diuina, nec de lumine cordis ista effundunt. Et ideò istæ religiones institutæ sunt ad studium; non ad con-

An Prælatorum Status perfectior sit, quam Monachorum.

Obiectio.

Solutio.

templandum. (nisi forte ex conse-
quenti vt per studium ad meditatio-
nem, & ad contemplationem perue-
nirent, quod raro apud eos cōtingit).
Religiones autem quæ ad militādum
sunt institutæ, dicunt, quod nemo
maiorem habet caritatem quam qui
animam suā ponunt pro amicis suis.
Et quia perfectio est in charitate, ex
qua charitate ipsi in bellis ponunt a-
nimas pro Ecclesia & populo Chri-
stiano. Sed dicendum quod institutæ
sunt istæ religiones ad pugnādum ac
defendēdum Ecclesiā principatiter;
& non ad patiēdum vel moriendum.
Sed si quis eorum occiditur, hoc est
per accidens & præter intentionem.
Perfectio autem sumenda est secun-
dum ea quæ sunt de per se & non per
accidens. Illi autem quorum Religi-
ones s nt institutæ ad opera vitæ a-
ctiuæ, dicunt ꝙ sint perfectiores in
caritate, ideo meliores. Quia eorum
charitas operatur. Et ideò vtique me-
lior est q̃ in contemplatiuis quæ non
operatur. Sed dicendum quod contē-
platiui habent opera interiora, quæ
sunt

Ioan. 15. 13.

sunt immediatè circa Deum ad cõtẽplandum & amãdum, quæ meliora sunt & nobiliora q̃ exteriora opera. Vnde & Cõtẽplatiui dicunt se meliores, quia Maria optimam partẽ elegit. Sed dicendum si duo filij essent vnius patris: Vnus semper cum patre esse vellet, & nunquam à facie eius discedere, nec obedire ad discedendum: Ille vtiq; minus bon⁹ esset fratre suo qui patrẽ diligeret, & propter amorem patris libenter patri obediret in omnibus, & non tantum otio torpesceret. Sic fecerunt sãcti & perfecti Apost. Prophetæ & cæt. amici Dei, q ex diuina charitate ad opera exteriora ex charitate exierunt, & ibi plusquam in Cõtẽplatione meruerunt, & maiorẽ fructum fecerunt. Vita namque contemplatiua est dulcis & sterilis. Actiua autem laboriosa & fructuosa. Pro solutione autem notandum, q aliud est loqui de perfectione gradus. Aliud de dignitatis maioritate. Aliud de perfectione, quo ad perfectionẽ grad⁹ respiciẽdo: tũc vtiq; isti q sũt in Ordinib⁹ maio-

Obiectio.

Solutio.

res sunt his, qui sunt sine ordine. Sic & constituti in ordinibus sacris, sūt excellentiores alijs, qui tales gradus non habent. Et quia olim monachi communiter sine ordinibus fuerunt; ideò quo ad hoc, sub clericis fuerunt sicut dicit Hieron. *Sic viue in monasterio, vt dignus fias ad Clericatum.* Et sic etiam prælati in maiori sunt dignitate quam Religiosi. Et quo ad hoc Prælati excellunt Religiosos simplices, qui non sunt Prælati. Religio autem maior dicitur arctior. Ista enim duo pro eodem ponuntur. Vnde quādo in iure conceditur transitus de vna religione ad aliam, tunc ad arctiorem conceditur licentia (vt in Capitulo licet, de Regularibus) & arctior dicitur maior. Sic quandoque licentia conceditur ad maiorem & permittitur iste transitus de iure videlicet in Capitulo Sane, eodem titulo. Et dicitur ista Religio arctior quæ habet arctiora Statuta pro restrictione concupiscentiæ, & ad domandum carnem. Sic secundum Ioannem Andreæ & alios multos Doctores iuris

Epist. 4. ad Rusticum.

Ord.

Ord. Carth. est maior & arctior alijs Ordinibus singulis consideratis. Ibi namque non habetur esus carnium, etiam ne in grauissima quidem infirmitate. Quia Ordo iste esum carniũ penitus abiecit. Et quomodo hoc Statutum Ord. sit rationabile, scripsi in tractatulo quodam de confirmatione Ord. eiusdem. Et solui ibidem rationes Hostiẽsis, qui non benè intuitus fuit hoc statutum. Ideò visus fuit illud impugnare. Sic etiam cilicium abstinentia, Solitudo cellæ, & cætera plurima, quæ ita rigidè non habentur in alijs Religionibus. Sic & Papa concedit licentiam & Ecclesia, vt de alijs ordinibus possint transire ad Ord. Carth. tanquam ad maiorem, quia arctiorem. Et Papa Martinus excommunicauit in quadam Constitutione omnes mendicantes, qui transirent ad non mendicantes, excepto Ord. Carth. ad quem concessit omnibus transitum. Aliud autem est loqui de perfectione, & dicitur quandoq; perfectus homo, qui oblitus ea quæ retro sunt, in anteriora se extendit.

Alij omnes religiosi ad Cartusienses transire possunt.

Phil. 3. 13. Sic dicit Apostolus *Quæ retro sum o-blitus in anteriora me extendens*, postea dicit. *Omnes quotquot perfecti sumus hoc sentiamus:* quasi dicat. Hæc est perfectio vt homo obliuiscatur ea quæ retro sunt, & extendat se ad perfectionem continuè quandoq; dicitur perfect' homo, qui est perfect' in charitate. Sic Abraham fuit perfectus, quia cõtinuè profecit & ambulauit coram Deo in charitate: Ideò ad eum Deus dixit: *ambula coram me, & esto perfectus*. Perfectio autẽ simpliciter & absolutè loquendo, est in charitate. Ideò Apost. dicit: *Super omnia autem habentes charitatẽ, quod est vinculum perfectionis:* quia vnit nos vltimo fini, scilicet Deo. Et in hoc cõsistit perfectio cuiuslibet rei, vt suo fini societur. Hæc autem perfectio aliter est in Deo, qui perfectè se diligit, quantum est diligibilis. Aliter in Sanctis, quia etiam ex suo toto Deum continuè sine cessatione diligunt: aliter in hominib' qui tunc absolutè perfectam habẽt charitatẽ, quando Deum diligunt, & per mortale peccatum ab eo non recedunt;

Margin notes: Ibid. (beside "postea dicit"); Gen. 17. 1. (beside "ad eum Deus dixit"); Coloss. 3. 14. (beside "charitate. Ideò Apost.")

Nec aliquid in creaturis Deo præponunt. Et hæc perfectio est de necessitate salutis, & de præcepto: vt diligatur *ex toto corde* & omnia intendãtur propter Deum in intellectu. Et *ex tota anima*, vt etiam in affectu omnia velit propter Deum, & ex tota mẽte vt totus intellectus & memoria seruiant Deo: *Et ex omni fortitudine*, vt exterius pro posse suo seruiat Deo. Alia est perfectio, quę est de cõsilio, vt quando omnia impedimenta charitatis tolluntur: Quæ sunt exteriora bona, propria voluntas, & delectatio carnis, & solicitudo circa filios & vxorẽ. His quidam abrenũciant mẽte, tamẽ possident realiter, vt Abraham, Dauid & cęt. Sancti viri & perfecti, qui perfectam charitatẽ habuerunt, nõ tamen Statum perfectionis. Quia Status importat quandã ꝑmanẽtiam & stabilitatẽ & immobilitatẽ. Sicut Deꝰ propriè dicitur stare quia immobilis est in ſtatu suo & in essẽtia. Et per quãdã cõformitatẽ sũt illi in statu, qui se stabiliunt ad aliquem per promissiones & vota. Sic

Religiosi habent statum perfectionis, eò quod se obligant per votum ad ea quæ sunt perfectionis modo prædicto: Quia tollunt impedimenta charitatis. Hæc sunt tria scilicet Paupertas, Castitas & Obedientia. Qui autem sic se obligant, & hæc instrumenta charitatis perfecta accipiunt, & perfectum holocaustum faciunt, in Statu perfectionis ponũtur. Sic etiam prælati & curati qui promissiones faciunt, quia promittunt Castitatem quando ad Ordin. sacros promouentur, promittunt etiam obedientiam & tenentur ad paupertatem. Quia habent tantum vsumfructum bonorum Ecclesiæ, & non proprietatem. Et tenentur omnia distribuere secundum Dei voluntatem ad pios vsus, quæ eis superfluunt vltra parcum victum & vestitum: quos tantum de beneficijs debent habere. Et sic in statu ponuntur perfectionis secundum Magistrum Henricum de Gardauo. *quodlibeto* 12. iuxta finem. Sanctus Thomas in lib. de spiritualis vitæ perfectione capite 25.

quæ-

q. 184. articulo penultimo, videtur oppositum dicere. Sed est intelligẽdum quod non tam perfectè hæc tria vouent sicut Religiosi, & ideò in minus perfectiori Statu. Magister autẽ Hẽricus vult, quod nihilominus sint in statu perfectionis & si non ita perfectè obligant & sic concordant. Et sic capiendo Status perfectionum, id est, instrumentaliter tunc religiosorum Status est perfectior, eò quod se ad hæc instrumenta perfectius obligant. Sed quo ad religiones inter se, tũc ista quo ad perfectionem instrumentorum est perfectior, quæ habet minorem solicitudinem & curam & pauciora bona, & perfectio Status non minuitur per propria, quæ habẽtur in communi: sed magis iuuatur. Quia habent prouisionem sine magna solicitudine.

CAPVT XX.

HAnc autem considerationem habuerunt institutores Ordinis Carth. & hanc cautè videant singuli; vt in hac minoratione & paupertate & abrenũtiatione ma-

gnarum curarum permaneant. Et quo ad hæc instrumenta & curæ moderationem perfectior est dispositiuè, quo ad hoc religio, quæ nulla habet bona in communi, sed omnia ex mendicitate. Hoc verum, quãdo sine cura & solicitudine, potest sustẽtationis sufficiẽtiã mẽdicare; quãdo autẽ taliter mẽdicitati insisteret, quod solicitudinẽ magnã habere oporteret; & nunc illum nunc aliũ rogare; tunc in hoc casu cessaret hæc perfectio; quia spiritualia impedirẽtur per solicitudinẽ huiusmodi prætactã. Et sic patet quod iste Stat⁹ instrumẽtaliter est perfectior, qui habet minorem solicitudinẽ & pauciora bona, & plurima exercitia & opera pęnitẽtiæ. Et qui tollit etiam alia impedimẽta quę proueniunt ex delectatione carnis, sed potius cõseruat perfectam castitatẽ: quæ Domin⁹ De⁹ in Ord. Carth. vsq; in hunc diem vtiq; gratiosè conseruauit. Sic etiam obedientia ibi est maior. Quia magis absoluta in Ord. Carth. & ideò si hæc seruantur sicut debẽt: tũc perfecta est religio instru-

menta-

mentaliter ratione magnæ pauperta-
tis, vilitatis, Castitatis & obediẽtiæ.
Per quæ omnia impedimẽta spiritu-
alis profect⁹ tolluntur. Loquẽdo au-
tẽ de perfectione ratione finis, tunc
ista Religio est maior, quæ plus con-
iungit suos professos vltimo fini. Et
sic Mariæ pars est melior. Vnde etiã
Ordo Carth. quia ad cõtemplationẽ
& amorem Dei ordinatur. Et etiam
prædicat suis subditis ex plenitudine
Cõtemplationis, quamuis nõ extra-
neis. Sic similiter alię religiones, quę
sunt institutæ ad cõtemplandum &
prædicandum, ex cõtemplatione sũt
perfectiores alijs. Tamen transitus de
vna Religione ad aliam secundum
iuris dispositionem fieri debet ad ar-
ctiorem. Vt in Capitulo licet *de Re-
gularibus*. Igitur etiã illa dicitur ma-
ior, vt in cap. *Sane* eodẽ titulo & non
ad perfectiorẽ, licet hoc quibusdam
Theologis videatur: Sed magis stan-
dum est Statutis Ecclesię, quę istũ trã-
situm cõcedunt q̃ rationibus quorũ-
dam Theolog. q nõ habẽt auctorita-
tẽ statuẽdi super Ecclesiam aut super
Papam

Papam. Sed videant Carth. vt hæc instrumenta eorum ſint valida, videlicet paupertas, caſtitas, & obediẽtia. Et finis debitus, & vt laborent pro fine iſto serioſe: ne ſint hypocritæ, & accipiant maius iudicium ſi non benè ambulauerint. Quandoque verò dicitur perfectio ratione virtutis maioris: Sic perfectius eſt mori pro iuſtitia, quã alias habere multas victorias particulares. Etiã dicitur pfectior Status ratione excellentiæ virtutis. Sic Prælati ſunt in excellentiori Statu, & debent eſſe in excellẽtiori virtute. Et ſecundum hoc ſubditos ſuos regere. Et ratio eſt ſecundũ Hieron. ad Vigilantium, quia Status prælatorum requirit perſonas perfectiores. Et dicit Aug. quod nihil melius quam Deo in Sacerdotio ſeruire. Et B. Gregorius: quod nihil plus placet Deo quam zelus animarum. Quem zelum habent prælati & curati qui curant animas ſubditorum, & paſcunt eos verbo, exemplo & oratione, & quando neceſſe eſt temporali ſubſidio. Et licet actus Religio-

ſorum

sorum sint nobiliores & puriores & plus accedant ad puritatē angelicā, actus tamen prælatorum sunt meliores, vtiliores, & fructuosiores. Et ideò monachi quandoq; compelluntur transire à Religione, & assumere prælaturas: quia ex Dei amore debēt temporalia commoda & otium contemplationis libenter ad tēpus postponere: Sicut Sancti Apost. fecerunt & alij. Vnde etiā Christus nasci voluit de Lya, quæ significat actiuā vitam. Iudas namque de quo natus est Christus, fuit filius Lyæ, & noluit de venusta Rachele nasci quę signat Cōtemplatiuam vitam. Vt sic nascendo & docendo ostenderet, quod ex necessitate debemus otium contemplationis dimittere, maiorem namque charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ille autem spiritualiter animam suā ponit pro amicis suis, qui negligit dulcedinem quietis & contemplationis propter amorem & vtilitatē proximi, cui seruit in charitate DEI. Et sic tanquam bonus filius nunc patrem videt

videt & secum est in cõtemplatione. Nunc ex obedientia Patris labores Regni disponit, & familiam patris iuxta voluntatem Patris dirigit & gubernat. Tunc namq; dicitur vocari à patre: quando vocatur ad regimē à suis superioribus, qui locū habent Patris. Vel quando eligitur Canonicè in diuina charitate, quia creditur tunc à Deo eligi. Quod autē quidam à prælaturis transeunt ad religionē, hoc est ex eorum imperfectione, quia præesse ac prodesse nō possunt. Ideò conceditur in iure iste transitus ad pœnitendum. In multis casibus hoc legitur; & in religione positus absoluitur à votis. Nō quia religio simpliciter perfectior, sed quia est stat' pęnitentiæ. Et vota omnia in religionis opera commutantur, quæ sunt tam multa vt nō possint benè cum ea seruari alia. Qui autem habet curam animarum, & potest cum Dei adiutorio prodesse, & regere populum, ac seipsum in salutem: Et nō est irregularis nec aliter inhabilis; Illi nō consulitur vt sine causa rationabili curā

dimit-

dimittat. Quia tunc videtur otium suum pl⁹ q̃ Deum diligere. Sic Christus dixit Petro, & in ipso prælatis omnibus. *Petre amas me: pasce oues meas?* Quia hoc est signum amoris. Si Ioã. 21. vo autem aliquis est pusillanimis & inutilis in prælatura, fructũq; nõ facit, hic cũ petita licẽtia Superiorũ suorũ resignet, vt qui se cum multis saluare nõ potuit, neq; oues pascere, sed potius negligere; saltem in Religione pęnitentiam agat, & cũ alijs ipse, sine pastoralis officij cura, saluus fiat in simplicitate sua. Quod autem Beatus Greg. Papa plangit Statum suum in prælatura in cõparatione Stat⁹ quem habuit in religione; hoc non est ratione meriti minoris, neq; ratione inferioris vel peioris status. Cùm etiam secundum omnes Status Episcoporum sit perfectior, quem B. Greg. habuit. Quia Sũmus Põtifex fuit, & deplanxit Statũ suum ratione tristitiæ & anxietatis; eo ꝙ non potuit talem deuotionem habere in prælatura Summi Põtificat⁹, propter nimias curas & solicitudines, qualẽ habuit

in mo-

in monasterio; Vbi sine talibus quietus vixit. Vnde etiam ex tristitia expositionem super Ezechielem non continuauit, sicut & ipse testatur. Et tamen nulli dubium, quãdo plurima & vberiora proximisq; vtiliora & Deo gratiora fecit in prælatura, quã fecisset si simplex monach⁹ mãsisset, Et in monasterio sibi soli prouidisset, in spiritualibus, Religiosorũ exercitijs se occupando. Si.n. ipse & alij Sancti cognouissent perfectiorẽ Statum in monasterio & DEo magis gratũ, vtiq; curas animarũ reliquissẽt. Quod tamen nõ legitur quisquã probatioris vitæ fecisse. Sed interim quãtum potuerunt prodesse, etiã in senio libẽter labores nõ recusarunt. Hæc autem, mi dilecte Frater, cõcludo in multis curis & solicitudinib⁹, quæ animum meum nõ permiserunt de his cogitare, sicuti fuisset vtile. Vnde etiam nec sententias tã ordinatè volui ponere, nec verba sensui deseruiẽtia stylo polito adaptare. Tua tamen charitate victus, assumpsi mihi laborem vnius septimanæ. Et hæc

Peroratio Auctoris.

raptim

raptim hinc inde diſtractus & occupatus, prout potui, comportaui, non ſicut volui, nec ſicut deſideraſti. Sciens tamen beneuolum & religioſum animum tuum; qui etiã minus perfecta ſuſcipis: non attendens muneris magnitudinem, ſed offerentis affectũ, libenter hoc pro tuo profectu & aliorum qui forte ex his occaſionem proficiendi ad gloriam Dei accipiãt, ſcripſi: Optans ex corde laborẽ impenſum, tuis humilibus orationibus remunerari, & etiã aliorum, vt particeps efficiar, quatenus qui proprijs meritis non poſſum, tuis & aliorum ſaltem orationibus & meritis conſequar vobiſcum Regnum Dei, præſtante Domino noſtro IESV Chriſto viuente & regnante cum DEO Patre in vnitate Spiritus Sancti DEVS per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029984